
32101 064067398

Specimen characteris Codicis Ambrosiani.

POSTEATARQUINIUSPRISCUSADDIDITAL OSCEN
CONSCRIPTIPOSTPLACUITPOPULOADDIFAMILIASPLEB

ADSENATUMETFACTISUNTSENATORESPLEBEITRIASUNT

PRO SCAURO

LITUAETNAMAR
DEREDICUNTSIC
UERREMOPERU
ISSEMSICIATER
TETOTATUMCOPI
RENDINATIONI
TESTEPRODUCTO
ATQUOTESTEDIIN
MORTALESNON
SATISQUODUNO
NONQUODIGNO
TONONQUODLE
UI



ECCETRAHEBATURMAGNASTIPAN
TECATERUA
TURPISADULTERIIMULIERLAPI
DANDAREATU

APUTANTIQUOROMN
UTETIAMEXNOMINIBUSNUMERENTURAUSPICAUNDE
APUTEOSCONSULFAGUT

J. F. Schröter sc. Lipsiae 1816.

M. TULLI CICERONIS

ORATIONUM

PRO SCAURO, PRO TULLIO, PRO FLACCO

PARTES INEDITAE,

CUM

SCHOLIIS AD ORATIONEM PRO SCAURO ITEM INEDITIS.

INVENIT, RECENSUIT, NOTIS ILLUSTRAVIT

ANGELUS MAIUS,

BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE A LINGUIS ORIENTALIBUS.

CUM EMENDATIONIBUS SUIS ET COMMENTARIIS

DENUO EDIDERUNT

ANDR. GUIL. CRAMERUS, IURISCONSULTUS,

ET

CAROL. FRID. HEINRICHIUS, PHILOLOGUS.

KILIAE,

APUD AUG. HESSE, BIBLIOP. ACAD.

1816.

DEDICATIO
ANGELI MAII

IACOBO COMITI MELLERIO

LONGOBARDICAE DITIONIS CAESAREO QUINDECIMVIRO GUBERNATORI SUMMO AERARII PRAEFECTO ALMAE URBIS MEDIOLANENSIS LEGATO AD CAESAREM CIVI OPTIMO.

Praeclara tua dignitas fecit, meumque singulare erga te studium, ut, quae mihi nuper, multo quidem pretiosissimae, sed diu perditae, Ciceronis reliquiae in Ambrosianis Codicibus deprehensae sunt, eas ego non alii quam tuo nomini inscriptas edere vellem. Etsi autem nativus quidam animi pudor, et dudum sponte susceptum propositum vehementer te, quominus hoc a me litterarium munus exciperes, deterrebant, victus tamen tum meis precibus es, tum rei etiam, ut puto, insigni nobilitate atque praestantia. Et re quidem vera (fidenter dicam) quodnam hoc tuum fuisset, Vir summe, iudicium, quae sententia, quae mens, si, dum bonas litteras cunctasque artes liberales tanto amore prosequeris, principem ipsum paene omnium studiorum sub tua auspicia ve-

nientem repulisses? hoc praesertim tempore, quo, propter gravissimas tractationes tibi a patria commissas, dux tibi quidam et auctor opus est, consiliorumque et operum moderator: qui si ex omnibus unus optandus sit, quem cum Tullio conferre possis, non habebis. Hic enim vir ex omnibus Romanis ingeniis sapientiae maxime prudentiaeque ornamentis abundavit. Hic est qui togatus consul divina animi vi, profundoque mentis consilio et leges optimas tulit, et tranquillitatem publicam fovit, et impiorum audaciam infregit, eamque dominationem, cuius fines tot fortissimi imperatores terrae et caeli regionibus terminaverant, ipse unus prope inermis a nefario coniuratorum conatu tutatus est. Iam Tullianae mentis imago in eius praesertim Orationibus extat, in quibus ille adeo suorum consiliorum genus explicat, adeo optimae gubernationis formam constituit, ut, qui praestantissimus reipublicae praeses fieri volet, is rem abunde confecerit, si suas agendi cogitandique rationes ad Tullianum exemplar conformaverit. Cuinam igitur opportunius, quam tibi, nondum vulgatas Ciceronis Orationes dicarem? Quippe in maximo bello, quo Europa universa nuper convulsa est, quum haec etiam nobilissima patria intestinis repente motibus concuteretur, tu, Vir amplissime, in eorum optimatum numerum lectus es, qui more scilicet veterum consulum v i d e r e t i s   n e   q u i d   r e s p u b l i c a   d e t r i m e n t i   c a p e r e t. *Quo sane tempore quam tu ex animo patriam amares, cuncti perspexerunt. Nam si quisquam fuit unquam remotus tum natura tum etiam voluntate a publicis negotiis, ab honorum decoramentis, atque a strepitu et sermonibus vulgi, is profecto tu es.*

Testis est praeterita vita, in qua semper ea studia secutus, ex quibus communis utilitas nasci posset, ipsos tamen magistratus, et publica munera per se nunquam putaveris expetenda. Cum vero te patria concordi claroque voto, ut se protegeres, invocavit, huius tu neque auctoritatem negligere, neque iudicium non sequi, neque iussa detrectare ausus es. Igitur ad clavum reipublicae cum sociis sapientissimis sedens, in id totus incubuisti, ut animorum aestus lenitate compesceres, populum acerbissimis tributis liberares, infinitam peccandi licentiam coerceres, calamitosorum iniurias vindicares, nulla in re ab religione officii deflecteres. Ecce autem cum patria de communi consilio legatos ad CAESAREM DOMINUM *et* REGEM NOSTRUM *destinaret, tua rursus opera in splendididissimo munere expetita est. A qua utinam legatione tum re feliciter gesta, tum celeriter etiam redeas! Nam discedens quidem incredibili nos affecisti desiderio tui. Interea hoc a me, Vir amplissime et optime, cape munusculum: ex quo, quanti te faciam, probe cognosces, quandoquidem id tibi exhibeo, quo melius in praesenti nihil habeo. Vale.* [An. 1814.]

DE

CICERONIS FRAGMENTORUM

NUPERA INVENTIONE

DISSERTATIO

ANGELI MAII.

Latinae eloquentiae principem Ciceronem vel eo maxime nomine mirari soleo, quod, quum in occupatissimo ambitionis cursu atque in cunctis paene reipublicae muneribus ab ineunte aetate versatus sit, tantum nihilominus otii tot scribendis operibus suppeditare potuerit. Quid enim est in omni varietate bonarum artium atque litterarum, quod ille caelesti fretus ingenii vi, mirabilique elocutionis ornatu, cum sua laude immortali non attigerit? Philosophiam, quum ea nullis prope scriptis illustrata apud Latinos iaceret, primus Cicero erexit, et plurimis editis voluminibus felicissime excoluit: in quo videlicet picto et expolito scribendi genere cum doctrinae praestantiam ac sanitatem, tum omnes verborum, omnes sententiarum inligavit lepores. Iam et politicam rem et historicam et poeticam sapienter eleganterque tractavit. Sed ante omnia, quodque caput in eo fuit, artem oratoriam non modo scriptis de ea praeceptis nobilissime docuit, verumetiam dictis Orationibus ita expressit, ut vivens

fulgere et tonare et omnino regnare in iudiciis visus sit, apud posteros autem Cicero non iam viri Romani, sed ipsius eloquentiae nomen videatur.

Ex tot Orationibus tamen, quibus vir disertissimus Romanum forum personuit, multas invida aetas aut corrupit aut mutilavit, multas funditus sustulit, plurium denique, ut credibile est, memoriam ipsam abolevit. Nam fuit quoddam tempus tenebricosum et barbarum, quo, Longobardis Italiam tenentibus, Romanoque imperio per socordiam principum et fortunae inconstantiam deleto, omnis bonarum artium lux, omnis litterarum gloria extincta est. Tunc etiam in illa pretiosa volumina, quae tot eruditorum hominum manus elaboraverant, ubi tot ingeniorum divitiae latebant, miserrima caede saevitum est. Rapidis urebantur flammis litteratorum longae vigiliae, situ tenebrisque marcebant clarissima artium lumina, ad tabernas denique et deterrimos usus doctissimae membranae veniebant. O conditiones miseras regnorum atque nationum! Illi scilicet Itali, quibus summam copiam ingenii, facultatemque dicendi natura largita est, qui Plautos, Tullios, Virgilios, Flaccos, Livios paucis ante saeculis ex sese genuerant, qui omnem Graecarum litterarum atque artium laudem una cum rerum imperio ad se transtulerant, nunc demum tantis barbariae fluctibus obruti sunt, ut apud ipsas exteras gentes inscitiae invidia infamiaque flagrarent. Igitur apud nos squaluere gymnasia, forum luxit, subsellia atque iudicia siluerunt; infinita demum librorum supellex, fractis plane ac deiectis Italorum ingeniis, ad occiduas et boreales nationes avecta est.

Verum inter tot genera cladium, quibus veterum scripta perierunt, haud scio an illa praecipua dicenda sit, quod, quum ad summam bonarum artium ignorantiam extrema etiam fortunarum penuria accessisset, membranarum vetus scriptura aut scalpro rasa aut ablutione depulsa est, quo nimirum novae scriptioni locus in eodem volumine pararetur. Quae res quum sit

veritate certissima, ne fide tamen paene incredibilis videatur, reputandum est, idem quodammodo et nummis et picturis et statuis et universae architectorum arti accidisse. Nam et recusos nummos, et tabulas interpolatas, et signa refecta, et aedificia alienis usibus accommodata quis demum ignorat? Sed ut in scriptura sistamus, apud Graecos, quos serius barbaries corripuit, saeculis demum infra duodecimum a Christo nato ea pestis in libros grassata est [1]. Verum apud Latinos iam inde a septimo saeculo rescriptos Codices haud raro reperies. Itaque praestantissimi aureae aetatis scriptores ineptissimis rudis aevi commentis saepe decesserunt. Quos in Codices siquando incidas, vel ipsi ingentes et pulcherrimi antiquae scripturae ductus, qui sub nova barbarica sparsim se produnt, quantum inter utrumque opus intersit, tibi facile ostendent. Sed enim et illud fatendum est, plerosque rescriptos Codices Christiana argumenta, immo ipsos divinos libros excepisse, quorum materiam etsi ob religionis amorem exosculamur, eam tamen vacuas membranas multo mallemus occupasse. Quam ob rem plane non video, cur religio apud aequos homines invidiam contrahat. Tot mirandas veterum lucubrationes obruere, fuit, confiteor, magnum crimen, ingens pernicies, facinus impudens, iniuria non ferenda. Verum enimvero quum nullo unquam Christianae legis mandato, sed temporum potius inscitia et miseria id effectum sit, siquis nihilominus religioni id vitio vertit, aut plane is desipit, aut intestina aliqua acerbitate laborat.

Sed ne nimium multa generatim complectamur, atque ut ad illud, quod propositum est, deflectat oratio; scrutanti mihi Ambrosianae Bibliothecae forulos antiquissimum Codicem occurrisse aio, quem quum diligentius tantae vetustatis aspectu perculsus considerarem, sensi protinus esse unum ex iis, qui, ut dixi, rescripti vocantur. Atque hic originem tanti Codicis altius repe-

1 Montfaucon. Palaeogr. Graec. p. 319.

tere, non ingratum fore lectoribus arbitror. Inter Apenninos montes in Liguria ad locum, qui Bobium etiam antiquitus nuncupatus fertur, divus Columbanus anno post Christum natum DCXII. Benedictinorum claustrum fundavit [2]. Ea porro familia non morum tantummodo sanctimonia, verum etiam litterarum scientiarumque studio, quantum tempora patiebantur, insignis evasit [3]. Ei coenobio studiisque monasticis praefuit saeculo post Christum X. Gerbertus, Gallus, qui deinde Romanam sedem cum Silvestri II. nomine tenuit, vir temporibus suis plane superior, mathematicae, rhetoricae, musicae, medicinae omniumque paene disciplinarum prudentissimus [4]. Quum igitur illud monasterium in mediis Italorum tenebris aliqua litterarum luce collustraretur, librorum supellectile carere non potuit. Bobiensis Bibliothecae Catalogum saeculo forte X. scriptum Ludovicus Muratorius publici iuris fecit [5]: in quo bene longo indice non rei sacrae solum scriptores, verum etiam Grammaticos, Historicos, Oratores, Poetas, et reliquae profanae litteraturae auctores non paucos deprehendas. Iam vero ineunte saeculo XVII. cum FEDERICUS CARDINALIS BORROMAEUS, cuius immortale nomen nulla unquam oblivio delebit, Ambrosianam Bibliothecam infinito sumptu fundaret, eamque conquisitis undique libris locupletaret, ad Bobienses in primis Codices animum intendit, missisque largis muneribus ita feliciter rem transegit, ut quidquid bonae frugis in eo pervetere Lyceo latebat, ad suos Ambrosianos pluteos sevocarit [6].

2 Mabillon. Annal. Bened. T. I. p. 296. Ughelli Ital. Sacr. T. IV. p. 926.

3 Tiraboschi Storia della Lett. Ital. T. III. p. 104.

4 Idem eodem Tomo p. 204.

5 Antiquit. Ital. Med. Aev. T. III. Dissert. 43. p. 818.

6 [Petr. Paul. Boscha, saeculo isto bibliothecarius, libro I. de Orig. et Statu bibl. Ambros. T. IX. P. VI. Graev. Thes. Ital. p. 6. „et Bobiense Coenobium" inquit „Benedictini Ordinis librorum spem fecerat, quos deinde munifice oblatos accepimus". Non ergo „missis largis muneribus"! Adde eadem de re Mabillonum Itin. Ital. p. 12. C. F. H.]

In his igitur ego Codicibus, qui Bobienses inscribuntur, unum deprehendi, in quo Sedulii, Christiani poetae, opera edita continentur: quem cum acutissima oculorum acie lustrarem, et sub posteriore scriptura priorem rimarer, o Deus immortalis, repente clamorem sustuli, quid demum video! En Ciceronem, en lumen Romanae facundiae indignissimis tenebris circumseptum! Agnosco deperditas Tullii Orationes, sentio eius eloquentiam ex his latebris divina quadam vi fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Tituli quoque operum in margine Codicis sese paulatim aperuerunt. Atque hic ego quantis laetitiis incessi, cum partes ingentes ineditas trium Ciceronis Orationum deprehendi, *pro Scauro* nimirum, *pro Tullio*, et *pro Flacco!* Grandibus et pulcherrimis litteris ea constat scriptura, et in tres unaquaeque pagella columnas distinguitur. Tum Oratio *pro Scauro* elegantissimis Scholiis stipatur, quorum alia litteris quadratis vetustissimis etsi minutioribus exarata sunt, alia rudioribus quidem, sed eadem tamen antiqua, atque ab eodem, ut plane videtur, auctore profecta. Scriptorem horum Scholiorum Asconium Pedianum fuisse suspicor. Nam et stilus, et naturalis quidam color, et totum genus scribendi id indicare videntur. Porro qui iampridem exstat Asconii Commentarius in Orationem *pro Scauro*, non plane integer esse potest, quum ipsa Oratio paene tota ante nostram editionem desideraretur.

Et Codex quidem in praesenti est formae, quae dicitur in 8.°, quia monachus Sedulii scriptor folia complicuit: quibus iterum explicitis, ad antiquam formam in 4.° liber redit. Iam ex his foliis ita restitutis sex habent partem Orationis *pro Scauro* cum Scholiis, tria et dimidium *pro Tullio*, unum *pro Flacco*. Unum etiam particulam exhibet Orationis Tullianae *pro Coelio*, quae quum tota sit edita, nihil nobis reliquum fuit, nisi ut varias aliquot lectiones ex tam antiqua membrana proferremus. Iam quo definite saeculo prima Ciceronis scriptura in Codice fuerit exarata, quis indubia coniectura pronunciet? Ipsa recentior Sedulii

scriptura miram sapit antiquitatem: et tamen inter se quantum hae differunt! Nos utriusque specimen coniunctim exhibebimus, ex quo siquis iudicet, Ciceronis scripturam ad II. aut III., Sedulii ad VIII. Christiani aevi saeculum pertinere, is, non uno antiquario iudice, a veritate haud multum aberrabit. Certe hic Sedulii Codex ante saeculum X. in Bobiensibus pluteis extitisse videtur. Namque in illo Catalogo, quem superius diximus a Muratorio editum, quatuor Sedulii libros videre est. Atqui hic, de quo loquimur, rescriptus Codex quatuor scilicet, etsi mutilos, continet Sedulii libros. Ergo hunc Codicem iam inde a vetustissima aetate Bobienses monachi possederunt: quin et iidem, ut credibile est, iam antiquas Ciceronis membranas rescripserunt, summumque Oratorem cum poeta non bono commutarunt. Verum temporibus barbaris irasci quid interest? Nostrae potius gratulemur aetati, cui Deus optimus maximus hanc laudem contulit, ut hi praestantissimi humanae mentis foetus ab oblivionis latebris nunc demum emergerent.

Equidem ad commendanda haec, quae proferimus, opera unum Ciceronis nomen satis esse videtur, cuius admiratio adeo mentes omnium occupavit, ut, quidquid ab eo fluxit, id sine dubio optimum iudicetur. Sed enim haec scripta qui legat, nemo ipsa per se non miretur. In Oratione *Scauriana* quam graviter Cicero, quam acerbe, quam diserte, quam invicte persequitur Sardos! Iam Arinis facinus in uxorem, pellicisque flagitia quanta invidia atque infamia perfundit! Scaurianam causam concursu totius civitatis Romanae defensam narrat auctor Dialogi *de Causis corruptae eloquentiae* [7]. Oratio *pro Tullio* cum perutilem habet doctrinam iuris Romani, tum oratoriae atque evidentissimae narrationis exemplar est. Denique quum edita Oratio *pro Flacco* inter praestantes merito habeatur, non parum decoris nos eidem adiungimus, qui eius hiatum incommodissimum tollimus.

7 Cap. XXXIX.

Atque ego quidem in his exscribendis fragmentis gravem prorsus laborem exantlavi, dum evanidas litteras et posteriore scriptura obrutas fessis oculis consectarer, dum dispersas et mirum in modum perturbatas atque inversas pagellas ad iustum locum revocarem, dum denique non paucos etiam, quibus Codex laborat, errores probabili coniectura sanarem. Sed nulla esse potuit asperitas tanta, quae meam extingueret Tulliani thesauri detegendi cupiditatem. Immo laborem omnem atque molestiam fructus dulcissimus abunde compensat. Vos modo, candidi lectores, exigui mei ingenii conatum boni consulite, et novis Tullii copiis ad vestra studia feliciter utimini.

CAROLI FRID. HEINRICHII

PRAEFATIO NOVAE EDITIONIS.

Annus est circiter, cum M. Tulli Ciceronis trium Orationum Partes adhuc ineditae, Angeli Maii felicitate summoque merito in bibliothecae Ambrosianae palimpsesto repertae, et quidem exempla in Germania ad principem, quae brevi ante prodierat, editionem Mediolanensem parata, inter alias fori librarii novas merces huc pervenerunt. Nescio, quae mens tunc mihi, aut ubi, fuerit. Sed, sive exspectandum putarem, dum ipsum illud exemplar Mediolanense possem tractare, quod venturum sine mora meas in manus sperabam, aut dum nova mox forsitan editione repetendis cultius nobilissimarum reliquiis causarum libentius frui contingeret; seu forte etiam isto tempore occupatiorem me haberent inde abhorrentes nimis rationes aliorum studiorum: adeo tunc non movebar Ciceroniani nominis splendore et auctoritate, ut libellum, quid praeclari afferret, nihil omnino arbitratus, sic plane, uti allatus ad me esset, statim seponerem et ad futuram nescio quam sortem damnarem. Negligentia haec erat, fateor, non tamen

valde, credo, vituperanda, si quis certam aliquam viam studiorum ac laborum sequi solitus non quovis repentino, quasi vento, novitatis impetu quoquoversus ferri rapique se patitur. Neque in eadem, si forte, culpa non fuisse mecum alios haud paucos, est quod suspicer. Certe, qui rerum in litteris novarum indicia exercent doctis diariis, eorum nullus dum, quod sciam, recentis huius thesauri ex merito fecit mentionem, praeter unum Britannum, qui et Partes has nostras et trium aliarum Tullianarum Orationum Fragmenta, item a Maio et eodem anno cum Scholiis antiquis locupletioribus primum vulgata, commendavit diligenter popularibus in Museo critico Cantabrigiensi mense Iunio an. 1815 *.

* Partes hae nostrae Orationum pro Scauro, pro Tullio et pro Flacco lucem viderunt primum an. 1814. Mediolani, typis Ioannis Pirotae. Item Fragmenta, ab illis diversa, et perinsigni Scholiorum veterum ineditorum apparatu instructa; cuius libri integra haec est inscriptio: *M. Tullii Ciceronis trium Orationum, in Clodium et Curionem, de Aere alieno Milonis, de Rege Alexandrino, Fragmenta inedita. Item ad tres praedictas Orationes, et ad alias Tullianas quatuor editas, Commentarius antiquus ineditus, qui videtur Asconii Pediani. Scholia insuper antiqua et inedita, quae videntur Excerpta e Commentario deperdito eiusdem Asconii Pediani, ad alias rursus quatuor Ciceronis editas Orationes. Omnia ex antiquissimis MSS. cum criticis notis [immo, cum notis,* seu potius *annotationibus, criticis] edidit Angelus Maius. Mediol.* 1814. Et Partium nostrarum ad exemplar Mediolanense facta repetitio est Francofurti ad Moenum 1815. cum accessione nulla alia, nisi vitiorum aliquot novorum. Utriusque autem voluminis Mediolanensis dotes omnes, et cuncta haec inedita Ciceroniana in unum redacta, promittit liber, modo editus, ut audio, Londini, hoc titulo: *M. T. Ciceronis sex Orationum Fragmenta inedita, cum Commentariis antiquis item ineditis. Inven. recens. notis illustr. A. Maius. Denuo impressum* [sic]. 1816. apud I. Mawman.

Huic igitur negligentiae tandem subvenit, cui sua propterea gratia debetur, curiositas erudita ac sollers nostri collegae, viri clarissimi, et hac aetate, quae tot rebus praeclaris, incuria prius desertis, vel desidia inertiaque corruptis, studia nova vel remedia aut parat aut postulat, inter principes instaurandae doctioris disciplinae iuris civilis. Qui quidem ex semestri peregrinatione, salubrique fontium Mattiacorum usu, autumno alacrior ad nos reversus primum commemorare apud me coeperat, quid, Lipsiae moratus aliquot dies, praeter alia de fragmentis illis Ciceronianis, quorum exemplum Francofurtense in viatico secum habitum identidem otiosus triverat, cum amico, litteratissimo aeque iurisconsulto, egisset, et initio demum huiusce anni subito mihi significavit captum a se consilium scribendi aliquid de his fragmentis, quod cum aliis, ut mox ultra prodirent plusque efficerent, excitandis et exacuendis esse posset, tum Berolinum mitteretur ad Savinium, virum ex eodem doctrinae studio celeberrimum, cuius litteris rogatus tunc erat meus collega, daret scriptum aliquod cum philologia et critica coniunctius, quod per Commentarios iurisprudentiae historicae, quos Berolini vir ille cum sociis continuat, cognoscendum studiosis et aemulandum proponeretur. Nam ab his quidem disciplinis, tanquam a nervis suis ac firmamentis, seiunctum ius vere historicum esse nullum, neque talem facile revocari iurisprudentiam, nisi reductis simul nimium diu vulgo inter iuridicos obsoletis his artibus, id vero eccui magis credas, quam viris talibus, ad studia recte ingredienda nimirum optimis ducibus? Itaque multum laetatus audita

re illa, meisque etiam studiis fructus inde novos nec dubios pollicitus, tamen de ratione exsequendi eius consilii recogitans coepi mox exoptare, illam ut placeret meo collegae paullo aliter et quodammodo ad maiorem utilitatem aptius conformare. Non enim intelligebam, quamobrem is, qui coronam istam merere, dummodo vires suas eo conferret, in critica iuris fontium et finitimorum auctorum diu exercitas, ipse omnino posse videretur, cur igitur is tamen alios tantum excitare et hortari vellet, illuc ut tenderent; neque satis utile fore putabam, si communis res litteratorum et criticorum omnium, quasi remotis arbitris, inter solos consultos ageretur, denique, si sermone, qualis est Commentariorum istorum, vernaculo, et non potius eo, quo cuncta in his litteris non solum tractantur eruditius, verum cum litteratis hominibus exterarum etiam nationum liberalius communicantur. Ne multa: valuit sermo iste meus, quod ipse vix speraveram, ut vir doctissimus mutato proposito iam ultro in se reciperet huius totius muneris Mediolanensis novam editionem adornandam. Cuius editionis tunc statim descripta ac definita sic ratio est, ut de Germanico exemplo, quae primus editor, et quomodo ipse dedisset, denuo exprimerentur omnia, et quidquid is aut repraesentasset secundum Codicem, aut induxisset a se novatum, in contextu plane relinqueretur, neque periret, tanquam spectaculi causa servatum, hoc Mediolanense locandarum interpunctionum artificium, quod non turbaret legentem cautius, et delectaret fortasse quosdam nostratium similitudine blanda suae ipsorum in re ea abnormis licentiae:

at rursus ut adderentur copiae paratae emendationum novarum et interpretationum, quibus quidem haec fragmenta, multis locis, quemadmodum primum edita sunt, obscurissima, nunc demum magis perspicua expeditaque fierent, et perfrui ipsis, vel ex eis discere cupientes non deterrerent difficultate sua nimia. Sed festinato erat opus in tota re profliganda: media hiems iam urgebat, et manebat collegam, virum pulcherrimorum consiliorum opportunitatibus dignum aeque ac fortunatum, cum prima hirundine novum iter et illo nupero aestivo longius, perquirendis nunc inferioris maxime Germaniae bibliothecis, et proferendis, si quae abdita ibi laterent ignota hucusque doctrinae subsidia. Ne tempus quidem concessum bibliopolae conficiendi chartas sat bonas exemplis venalibus: arripiendae erant, qualescunque in horreo forte iacebant.

Adhuc nihil omnino minus cogitaram equidem, quam fore unquam, ut ad memet ulla negotii huius perficiundi societas pertineret. Nondum commoveram rursus libellum, quem iam pridem cessatum duxissem; tenebar curriculo hoc semestri plus solito academicarum operarum frequentia; et horas, compendifacere quas possem, tantum aberam, ut inchoandis novis laboribus vellem consumere, eas ut absolvendis diu susceptis multumque progressis unice destinarem. Verum, ecce, ratiunculas has discutit mihi, nec repugnanti, honorificum sane collegae, ornatissimi viri, de me iudicium: qui quidem, antequam ultimas manus operi admoveret, invitavit me, sibi

ut auscultarem, dum praelegeret mihi fragmenta et velut eruta perfectissimorum aliquando operum membra ostenderet, simulque expromendis, quae ad sananda ea vel explananda habebat in promtu, meam interim sententiam tentaret. Dixi antea, per meum collegam esse factum, ut praeclari huiusce muneris longam incuriam deponerem: dicam nunc amplius, eidem deberi viro, si haec fragmenta post ipsum mihi quoque debere aliquid doctis in hoc genere incorruptisque iudicibus videbuntur; quandoquidem is fuit, qui, cum primus, tanquam ad alterum Archimedis sepulcrum, remotis sua falce dumis ac sentibus, ad has reliquias spectandas mihi fecerit aditum, ita me acri suo veroque illarum praestantiae et pulcritudinis sensu incenderit, inde ut sit profectum, si quid boni ad eas illustrandas contulerim. Ipsae num summi eius Oratoris, cuius nomen gerunt, verae essent et germanae, id quidem, cum tam aperte in eis Cicero, quantus quantus, usquequaque vivat et loquatur, neque a nobis est unquam quaesitum, nec vero ab alio ullo, nisi ab imperitissimo, quaeri potest. De hoc igitur verbum non addam. Sed amicum dum attente audio cogitationes suas acutas et coniecturas coram me explicantem, occurrerunt iam tum mihi non pauca, in quibus aliter sentire cogerer; cumque illico passim, summissius quidem, ut imparatum et in fragmentis his prorsus novitium decebat, sed tamen proderem meos dissensus aliquos, tum petiit collega, controversandi ius aeque et controversum agnoscens, exararem dissensus eos, sibi etiam fortasse nonnihil profuturos. Atque hic mihi nihil accidit, ut opinor, quod non pariter accideret

alii cuique benevolentissimo. Cum feriatis horis aliquot dierum fragmenta haec in secreto studiosius iam relegerem, neque diutius opinione et fortuito quodam instinctu, sed ratione et sobria arte, qualis haec disciplinarum regina critica potissimum est, regendam rem omnem putarem, et vero regerem: intelligebam non magno labore, tam multa eorum, quae ante audieram, et, ut fit in rebus subitis, partim probaveram, retractanda esse et longe secus constituenda, ut, si officio haud deessem, viderer in negotio hoc erudito aliena vineta caedere fortiter oportere. Haesitantem tali in conditione et cogitantem iam vela contrahere, remos inhibere, mox increpabat Theognis Grotianus: *Veri teneamur amore tuque et ego; quo nil iustius esse potest!* Ac saepe illis diebus, quo magis proficiebam, familiariter ostendi collegae, quo in statu tunc res esset; narravi ipsi aliquoties, quae de locis maxime laborantibus illa communis nostrum diva mihi insusurraverat; semel etiam de scripto ad faciles eius aures recitavi potiora, quae ipsius voluntate mandare litteris coeperam. Quae quidem ni ita sane se haberent, ego, ex auditore vel spectatore primum vix ad tertias agendas vocatus, nunc non ad secundas, (nam plus mihi non arrogo,) neque adeo ad editionis societatem essem promotus. Qua in re si forte parum fecisse videar, quod de Graecis actoribus in Caecilium dicit Cicero, eos, qui minorum essent partium, propter illum, qui primas ageret, se continere esse solitos multumque summittere: excusabunt me, quibus adiuravero, ad hoc faciendum profecto animum mihi non defuisse et voluntatem, si ipsa res, si fides ac diligen-

tia, si denique veritas pateretur. Socio iam igitur, qualem post cognitas meas opes me optabat collega, tradidit post aliquod tempus bipartito fasciculo cum exemplo fragmentorum Francofurtensi illas copias suas comprehensas omnes et perscriptas, neque id alia lege et conditione, quam ut libero arbitrio meo et placito suas ad crises et interpretationes adiicerem meas, quae iunctae mox prelum subirent. Feci et perfeci rem eam, ut potui. Nempe festinandum erat: et ego Pegaso non bene utor. Quanquam accelerando omnibus modis et urgendo opere extorqueri non licuit, nihil ut plagularum excudendum restaret, cum primo vere adeundum demum esset meditatum illud pridem ac praeparatum iter collegae et socio: in quo itinere, allaturo, quantum auguror, litteris raras utilitates, nunc is versatur, utinam cum diis bonis! Quare actor equidem secundarum, nimirum praeter opinionem solus mihi relictus, ferenda saltem in litterario dramate insolentia, neque iam devitanda, nunc etiam prologus prodeo.

Hactenus percucurri tanquam historiam incepti huius et peracti laboris fortuiti ac repentini: unde, qui veniunt ad spectandum, quid studiis sic propere, ne dicam, temere collatis sit fere praestitum, facile existiment, quam ipsi non recte exspectarent, aut postularent, absolutum omnibus numeris opus et ad unguem iam satis exactum. Sed, quamvis imperfecto opere et parum limato, tamen gaudebo et meo et collegae nomine, si communi nostrum cura satisfactum certe erit plerisque impedimentis et vitiis, quae praestantissimarum nitori et lumini tabularum, ut soli umbra, adhuc officiebant, et ob-

stabant, illae ne tantam, quantam merentur apud omnes peritos, dignationem laudemque haberent; tum, si ex consortio hoc doctrinarum, quas olim, cum haec studia florebant maxime, vinculo nobilissimo et utramque in partem fructuoso inter se iunctas postea inveterata iam aut perversitas aut negligentia diremit ac distinet, si, inquam, inde exemplum fortasse novum neque inutile ad recolendam istam veterem cognationem ac necessitudinem redundarit; postremo, si liber pro parte sua aliquid conferet non solum ad tuendam vim verae criticae, necessariam eam in quovis genere litterarum rebus parvis, quae vulgo videntur, aeque ac maximis, verum etiam ad commendandam Latinitatem germanam et probam: quae, quemadmodum hodie friget ad multos vel eorum, qui palam antiquas litteras profitentur, sic sane non diutius potest negligi, et non latius eius inscientia propagari, nisi ut, cum ad omnem eruditionem et ad ipsas illas, quas multi nunc solas colunt callentque, Graecas litteras, tum vero ad publicam bonarum artium institutionem ingens, et Germanis praesertim turpe, damnum accedat. Ceterum socius meus, hinc discedens, quod sui causa singillatim dictum etiam cuperet, nihil reliquit. De me, quae, praeter illa ante commemorata, monenda insuper habeam, pauca sunt et non magna. Asconiana quantivis pretii, quibus in prima Oratione ad nostram usque aetatem servatis sine intelligentiae detrimento carere nemo potest, cum nova hac editione coniungenda curavi, eo consilio et instructu, quae grata legentibus fore arbitror: numeris sectionum, quales nullae sunt apud Maium, distinxi nunc primus

fragmentorum tenorem: idem, quanquam non volens, confeci Indicem; in quem retuli partem Addendorum ad Commentarios fragmentis subiectos, quae quidem respicienda erunt suis locis, ut illa quoque huic Praefationi agglutinata; eodemque praeterea conieci nonnulla, corollaria non queo dicere, sed auctaria, aliena hinc fortasse, at condonanda tamen loco isti, quo vix alius opportunior et patientior suppeditaret. Ita quaedam etiam Commentariis scio esse immixta, quae sibi locum peterent magis idoneum. Sed quid omnino hic est aut reprehendendum aut optandum, quod non ipse, prope dicam, abunde sciam?

Superest, quod profitear. Quae, praeter has Partes, trium aliarum Ciceronis Orationum Fragmenta cum multis veteribus Scholiis *magni sane pretii*, ut perintelligens ait existimator, nuper item primus edidit Maius, ea ipsa et Scholia illa suscepi proxime in Germania nunc primum, et quidem emendatius ornatiusque, animadversionibus additis, repetenda. Non deerit, spero, is coepto huic meo eruditione sua et acumine, cuius consilio non defui obsequio meo. Nec vero ipse mihi deero, compensaturus fortasse lente festinando in Fragmentis, quae festinando, sed non lente, deliqui in Partibus.

Scrib. Kiliae Holsatorum an. 1816.

ADDENDA.

Pag. 8. col. 2. lin. 19. adde: Nam satis antiqua debet haberi haec consuetudo cognominis ponendi ante gentis nomen; neque *Fronto Cornelius* appellatur tantum pro eius aevi more, ut ait ipsius Reliquiarum celeberrimus editor Berolinensis p. XIX. not. 1. Multa exempla vel ex Cicerone et Livio collegit Manutius in Epist. ad Famil. II, 8. rationem Graeci ostendunt legitimo usu articuli, ut cum dicunt Φρόντων ὁ Κορνήλιος, etc.

p. 21. col. 1. l. 2. ab ult. Tacit. Annal. XIII, 44. „Sed libertus suum illud facinus profiteri; se *patroni iniurias ultum esse*".

p. 75. col. 2. l. 3. Alterum exemplum, sed non Ciceronis ipsius, animadverterat prius Ernestius in Ep. ad Fam. XII, 12. „*Habui* paullulum morae, *dum* promissa militibus *persolvo*". ubi, notato, legi in aliquot libris *habeo*, ille haec addit: „nempe *persolvo* non concoquebant, quod hic videtur stare posse: si quis malit *dum persolvi*, non repugnem". Quae peiora sunt etiam istis, quae postea scripsit ad Officiorum locum, cum illud *dum persolvi* ne Latinum quidem foret ullo pacto.

p. 76. col. 2. l. 8. Et congruit in hac parte constructionis, ut in aliis multis, cum Tacito auctor Dialogi de corrupta eloq. c. 32. „certum habeo dicturos, me, *dum* iuris et philosophiae scientiam tanquam oratori necessariam *laudo*, ineptiis meis plausisse".

ibid. l. 15. Ciceronis et verum omnino atque legitimum usum in sermone obliquo docent exempla haec. Pro Muren. c. 24. princ. *dum — comparares*, quod falso Lambinus vult scribi *comparas*, Taciti more. Pro Planc. c. 40. pr. *dum — extollerem*. De Orat. I. c. 41. extr. *dum — voluerim*. Alioquin ubi citeriores etc. Sic illa scripta a me nunc corrigo.

p. 79. col. 1. l. 3. Adde factum, quod Cicero scribit ad Paetum Epist. IX, 25. de Fabio, cuius fundus Herculanensis, quem communem cum fratre habebat, ab hoc erat proscriptus, illo absente: ex quo prope erat ut fratres inter se litigarent iudiciis, ut Cicero ait, turpibus.

p. 99. col. 2. l. 2. Quanquam vel singularis locus tuendus erat tempestiva comparatione Graecorum similiter loquentium, v. c. τοὺς καρποὺς ἀφαιρεῖσθαι τῶν κρατουμένων: quod genus male explicat H. Stephan. Thes. L. Gr. T. I. col. 191. A. melius Aug. Matthiae Gr. Gr. §. 412. annot., sed optime demum vereque explicabis ex eo, quo tam multa in linguis redeunt, ex confusione, inquam, locutionum diversarum.

p. 105. col. 2. l. 16. Ne Pandectae quidem Florentinae longioribus litteris signant geminationem, inductis illis primum ab editore Taurellio, qui non bene libro obtrusit morem alienum et lapidibus relinquendum. Vide ipsum Taurellium de audacia sua testantem in Praefat. ad Pandectas.

Reliquum est huc referre sententiam commemorandam viri haec studia auctoritate et exemplo summe ornantis, B. G. Niebuhrii, quam de ratione navatae a Maio in edendis his reliquiis operae nuper prodidit in Epistola ad suum illum ex Ditmarsia Phoenicem naviter scripta, et praemissa Frontoni, p. VI. quo loco dicit, intellexisse se ex his Ciceronianis, Maium non iusto ordine singula folia, disiecti scilicet moxque rescripti Codicis, disposuisse, et hoc ei accidisse in Oratione pro Scauro. Nihil ibi adiecit vir praestantissimus, quo accusationis tam gravis rationem aliquam redderet, istiusque perturbationis ipsam sedem in illa Oratione, aut eius sine errore reperiundae certa vestigia commonstraret. Et quaedam istic non aptissime cohaerere, animadverti ipse interdum, semper offensus imprimis, quoties principium mutilum, quod quidem ad testem pertinet, comparabam cum illis §. 11. „Venio nunc ad testes", etc. Sed in vestigio hoc quo minus pergerem et pronuntiarem quidquam audacius, obstabat timor fallendi, non improbus, opinor, in fragmentis laceris. Nunc, age, exspectemus, non cuiusvis de grege docto, qui in iudicando de re qualibet pulcrum et beatum se putat, praeiudicia vana ac temeraria, sed aut ipsum eius sententiae auctorem, vel similem virum, qui rationes sat graves nec dubias fortasse aliquando afferet, aut aliquem oculatum et eruditum, qui foliorum Mediolanensium novo tractatu de re dispiciat, et inde locorum in ea Oratione verum ordinem accurate nos doceat. Tutissimum erit hoc alterum; etiam in Frontone.

M. TULLI CICERONIS

ORATIONIS PRO SCAURO

FRAGMENTA INEDITA

CUM ANTIQUIS SCHOLIIS ITEM INEDITIS.

MONITUM

EDITORIS MEDIOLANENSIS.

In *Editionibus brevissima excerpta extant Orationis Tullianae pro Scauro, alia cum Asconii Commentario et argumento ab eodem confecto, alia ex variis auctoribus collecta. Nos partem Exordii invenimus, Divisionem, et priora duo Orationis membra* *, *et denique aliquot super his Scholia: quae Scholia utrum Asconium parentem habeant, an alium quemvis e Veteribus, definire diserte non licet* **. *Ceterum Asconii cogniti Commentarii hoc habent proprium, ut breviter et erudite textum explicent, historias et consuetudines romanas evolvant, ius lucide sapienterque declarent. Haec omnia in Scholiis, qui leget, deprehendet. Ceterum quod haec Scholia absint ab edito Asconii Commentario, nemo miretur: nam et ipsius Orationis non nisi tenuissimae particulae cum Asconio servatae sunt. Pereunte igitur textu nil mirum est periisse et Commentarium.*

* Quod de Exordio hic dicit Cl. Maius, nunquam sine magna laudis praefatione nominandus, id non de universae Orationis exordio capiendum esse existimamus, sed eius partis, qua transitus fit ad cri-

men rei frumentariae, apud Sardos administratione Scauri collectum. In plurimis enim criminibus diluendis occupatam hanc Orationem fuisse, tum ipsa suadet causa, quae fuit repetundarum et multa plerumque complectitur capita, tum ipsum quod superest fragmentum, quod, praeter frumentariam accusationem, etiam ad purgandam caedem, et, nescio quod, adulterium delabitur, in cuius suspicione fuisse videtur Scaurus, tum denique mos veterum, quos, cum ad accusandum accederent, se non continuisse intra eius criminis metam, in qua principaliter causa versaretur, sed quo certius reum premerent, quidquid praeterea ex tota rei vita ad peragendam accusationem utile crederent, id quasi in unum acervum congessisse, sive Verrinae, sive Catilinariae, sive Philippicae Tullii testantur. Quod nisi mihi credis, credas licet Martiano Capellae, cuius locum, etsi a Cl. Maio iam productum inferius ad §. 20. nos iterum hic damus, quo coniectura mactemus. Ita autem ille: *Multiplex vero ex pluribus quaestionibus causa consistit, ut repetundarum omnes, Verrinae et pro Scauro de Bostaris nece, de Arinis uxore et decimis tribus exquiritur*, ubi emendandum videtur: *et decumis tributisque quaeritur.* A. G. Cramer.

** Antiquissima esse haec scholia, ipse litterarum character ostendit; Asconii esse dubitare licet, cum neque ad doctrinam, neque ad stilum eius accedere videantur. Cr.

ARGUMENTUM

ASCONII PEDIANI[1].

Hanc quoque Orationem eisdem Consulibus dixit, quibus pro Vatinio [2], L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro Coss. Summus iudicii dies fuit ad IV. Nonas Septembris. Marcus enim Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps Senatus fuit,

1 Haec, quae sequuntur, Asconii, servata ex eius in Ciceronis Orationes commentariis, cum praetermissa essent ab editore Mediolanensi, viro clarissimo, cumque propter memoriam, quam singularem habent et praeclaram, rerum hominumque, quibus gravissimum illud iudicium fuit insigne, omnino eiusmodi sint, per quae eximii muneris huius Mediolanensis utilitas atque gratia invari commode possit, ea nunc quidem noluimus committere ut rursus deessent. Nihil simile extat ad Orationem pro Tullio; quale fortasse Pedianus ne scripsit quidem: quo etiam magis haec, quae supersunt in Scaurianam, erunt ponenda in lucro. Nec me poenituit pusilli laboris, quem ultro ad ea contuli. Libros adhibui, ut erant ad manum, Sigonii Fragmenta Ciceronis, Asconium Hotomanni et Graevii; recensui singula et nonnulla correxi, imprimisque unum locum, adhuc plane desperatum ab omnibus, nunc demum coniectura, seu potius ratione, sanavi. Subdidi denique annotata, quae prodesse quidquam viderentur posse discentibus, et doctis non obesse. Carol. Fr. Heinrich.

2 *pro Vatinio*) P. Vatinio, illo, in quem extat Ciceronis interroga-

vitricum habuit Sullam: quo victore, et munifico in socios victoriae, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Aedilitatem summa magnificentia gessit, adeo ut in eius impensas opes suas absumpserit, magnumque aes alienum contraxerit. Ex Praetura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter. Quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cetera industria nequaquam esset par. Oraverat tamen aliquando inter patronos causarum. Sed postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone [3], isque erat absolutus ad III. Nonas Quint. Ipse [4], cum ad Consulatus petitionem ad III. Kal. Quint. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum et notae industriae, filio eius, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, et post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat [5], cum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M.

tio vehemens, cuiusque hoc anno causam dixit, cum esset accusatus de ambitu. Vide Epist. ad Famil. I, 9. ad Q. fr. II, 16. et utrobique summum interpretem, P. Manutium; item Quintil. XI, 1, 73. et ad eiusdem VI, 1, 13. Ce. L. Spaldingium. Consulum istorum et harum causarum annus, magnis contentionibus tractisque vi Tribunicia in septimum mensem Consularibus comitiis turbulentus, U. C. 700. a. Chr. 54. Conf. Pighii Annal. Rom. ad ann. 699. T. III. p. 393.

3 *pro C. Catone*) Qui fuerat Tribunus pl. a. U. 698. et nunc reus agebatur lege Licinia Iunia. Eius res apud Ciceronem et Dionem, Livium Epit. 105. et Nonium in v. *Rumor*, ex Annal. Fenestellae. Cf. Manutium in Ep. ad Att. IV, 17. et Pighium p. 381.

4 *Ipse*) Sic est apud Sigonium. Hotomannus Graeviusque habent *inde*, quod sensum turbat et nihil nisi mendum videtur esse.

5 *filio eius, qui — fuerat*) Nominant vulgo Triarium, sine praenomine, scriptores, qui eius res gestas et adversam fortunam isto in bello commemorant; Dio Cassius, Appianus, Plutarchus in Lucullo, et Hirtius in B. Alex. Quem P. Manutius putabat fuisse C. illum Triarium, valde laudatum a Cicerone in Bruto et de Finibus I, 5. cuiusque,

Catonem Praetorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie Nonas Quint. post diem tertium, quam C. Cato [6] erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F., M. et Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudi: qui inquisitionem in Sardiniam itemque Corsicam insulas dies tricenos [7] acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cuius rei hanc causam reddebant, quod interea comitia Consularia futura erant; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret Consulatum, et, sicut pater eius fecisset, ante quam de eo iudicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat. Habebat enim filium, liberorum Cn. Pompeii fratrem: nam Tertiam [8], Scaevolae filiam, dimissam a Pompeio, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem [9], qui id iudicium, ut diximus, exercebat,

cum perisset in bello civili, liberorum superstitum tutor Cicero fuit ipse. Vide Manut. in Ep. ad Fam. VIII, 7. et ad Q. fr. III, 2. Mitto, qui idem sunt suspicati, Glandorpium et Pighium. Sed pater P. Triarii, et legatus Luculli, fuit L. Valerius Trianius, Quaestor urbanus a. U. 672. V. Liv. Epit. 98. et Cic. Verr. I, 14. Rursus levi errore filium, pro patre, dat legatum Lucullo Ios. Scaliger Animadv. in Euseb. p. 151.

6 *C. Cato*) Edd. omittunt praenomen. Id adieci, cum recte monitus essem a Cramero, ex consuetudine veterum hic praeteriri non potuisse.

7 *inquisitionem — tricenos dies*) Sic Sigonius et Hotom. Suspecta haec Latinitas videtur fuisse Graevio, qui edidit *ad inquisitionem*, profecto nulla necessitate. Vellem integra scripta Asconii ad nos pervenissent: multa inde disceremus Latina esse, quae hodie vulgata non sunt. Conf. infra not. 11.

8 *nam Tertiam*) Ad haec Cramerus in scheda: „Ex diffusa oratione obscuritas. Hoc vult, Scauri e Mucia filium, liberorum Pompeii fuisse fratrem uterinum." Sane brevius potuisset, sed non clarius, ut opinor.

9 *M. Cat. autem*) Fiet Latinus ordo verborum, si mutaveris, *M. autem Catonem*.

metuebat admodum propter amicitiam, quae erat illi cum Triario: nam Flaminia, Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quae mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem [10] maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo iudicio neque Pompeius propensum adiutorium praebuit [11], (videbatur enim apud animum eius non minus offensionis contraxisse, quod iudicium eius in Muciam [12], crimine impudicitiae ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, cum eam ipse probasset, quam gratiae acquisisse [13] necessitudinis iure, quod ex ea uterque liberos haberet) neque Cato ab aequi-

10 *apud Catonem*) Hotom. et Graev. *ad Catonem*, quod est soloecum.

11 *adiutorium praebuit*) Dubitatum est de forma loquendi, *adiutorium facere*, an esset bonae aetatis, ante Ruhnkenium, qui hoc docuit ad Velleium p. 435. Illuc omnino pertinet optimum exemplum Asconii, hoc loco dicentis, *adiutorium praebere*.

12 *Muciam*) Scriptura Sigonii, quam posteriores, dum nobis *Mutiam* dant, corruperunt. De hac femina sic Cramerus: „Mucia haec ipsa illa est Tertia, Scaevolae e gente Mucia filia. Tertiae cum praenomen tulerit, habuit praeterea binas alias sorores natu maiores; quod latuit, qui nonnisi duas ab hac diversas exhibet, doctissimum Rupertum ad Pomponii Ench. III, 7. ubi stemma est Scaevolarum. Occurrit eadem Epist. ad Att. I, 12. ubi verum vidit Paul. Manutius." De praenominibus feminarum, an fuerint apud Romanos, necne; de appellationibus *Primae, Secundae, Tertiae*, etc. sintne praenomina, an cognomina, postremo de ratione horum nominum, an ad numerum et ordinem filiarum in eadem familia pertinuerit, totidem sunt inter doctiores antiquarios controversiae: de quibus foret longa fabula. Sequitur, ut video, collega meus litteratissimus de praenominibus Sigonium et Reinesium nostratem. At tamen ipse Manutius isto loco ait diserte, Tertiam fuisse Muciae cognomen. Nominabatur *Mucia Tertia*, aut, quod perinde est, *Tertia Mucia*, cognomine praeposito, ut *Crispus Sallustius*, vel *Paullus Aemilius*. Deinde quod ibidem de duabus sororibus, utraque natu maiore, propter illud cognomen Tertiae, addit Manutius, id vereor ne Rupertum non tam latuerit, quam non moverit. Sunt enim argumenta minime contemnenda, quibus alii utuntur ad improbandam hanc ratio-

tate ea, quae et vitam eius et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla, tum Quaestor, filius Sullae Felicis, frater ex eodem matre Scauri, servis eius vulneratis prosiluit ex lectica, et questus est, prope interemptum esse se a competitoribus Scauri [14], et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: ac [15] post bella civilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos est perventum. Fuerunt autem

nem. Vide Perizonium Animadv. hist. p. 114. edit. Harles. et Stanisl. Santinellum de disciplina et mor. Roman. feminarum, in eius Dissertatt. Venet. 1734. p. 98. Quanquam priorem illam sententiam sequitur etiam Salmasius, locum de nominibus Romanis omnium copiosissime tractans in Commentario inchoato ad Arnobium.

13 *acquisisse*) Haec forma apud Sigonium est et Hotom. Apud Graev. *acquisivisse*, quod etsi paullo melius est, quam *acquisiisse*, prorsus id absurdum Latinis auribus, est tamen ipsum deterius forma illa, quam reduxi.

14 *servis eius vulneratis — a compet. Scauri*) Hic est locus, quem dixi initio me nunc primum sanavisse. Legitur apud tres meos editores hoc modo corruptissime ac sine sensu: *servus eius vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri.* Tantam, desperatam a se, corruptelam asterisco notarunt omnes; hunc tamen varie posuerunt, Hotom. ante verba *servus eius*, Graev. ante *et questus est:* quibus cautior Sigonius duobus signis in margine totum locum comprehendit. Nunc ego videor mihi omnia plana atque integra fecisse, prorsus etiam probante amico, quem saepius nominavi; cuius est simul illud *se*, adiectum post v. *esse*, pergeminationem.

15 *ac*) Sigonii est: *at* Hotom. et Graevii. Neutrum puto scripsisse auctorem, sed potius *atque*, i. e. et adeo. Legem Iuliam dicit illam nobilissimam de repetundis, latam a Caesare in primo Consulatu a U. 695. Et constat uno Asconio teste, etiam ad patronos pertinuisse hanc legem.

hi [16], P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere iudices movit et squalore et lacrimis et Aedilitatis effusae [17] memoria, ac favore populari, ac praecipue paternae auctoritatis recordatione.

EX COMMENTARIO ASCONII.

EDIT. GRAEV. PAG. 1016. s.

Laudaverunt Scaurum Consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perperna [18], L. Philippus, M.

16 *Fuerunt autem hi*) Hotom. et Graev. *hi sex*, mira cautione, quasi periculum esset, ne cui viderentur septem esse, quorum statim sex nomina ponuntur.

17 *Aedilit. effusae*) Erat apud omnes *effusa*, iunctum cum *memoria*. Correxi.

18 *M. Perperna*) Scriptura est Sigonii: Hotom. et Graevii *Perpenna*. Hanc praeferre debebam fortasse. Nam etsi vera est forma *Perperna*, id quod Manutio et aliis facile credimus, tamen multiplex usus probavit hanc molliorem formam cum duplici *n*, quam saepe tenent et boni Codd. et lapidum tituli, ipsisque Graecis dicitur plerumque Περπέννας. De quo Consulari ad h. l. Manutius: „Malim *L. Murena*, qui Consul fuerat. Nam de Consule *Perpenna* his temporibus nulla mentio." Id secus est. M. Perperna, sive Perpenna, Consul fuit cum C. Claudio Pulchro a. U. 662. Censor 668. Vide Pighium ad ann. 661. et 667. Obiit 705. aetatis anno 98. V. Dio Cass. XLI, 14. cum Fabricio. Sic redditur rarum ac notabile decus huic iudicio, senex Consularis plus quam nonagenarius, qui reum laudat.

19 *Isauricus pater*) Hoc Manutius dedit ex compendio *pr.* post eumque omnes. Est P. Servilius Vatia, postea cognominatus Isauricus, qui fuit Cos. a. U. 675. non confundendus cum filio, Cos. anno post hoc iudicium sexto, 706. Hic interfuit illi iudicio octogenarius: nam nonaginta annos natus obiit demum a. U. 710. Vid. Dio XLV, 16. ad quem loc., ecce, peccat ea ratione, quam modo cavere volebam, editor Hamburgensis. Idque notatum video etiam a Spaldingio ad Quintil. VI, 3, 25.

Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pater [19], Cn. Pompeius Magnus. Horum magna pars per tabulas [20] laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompeius quoque: nam, quod erat pro Consule, extra urbem morabatur. Unus praeterea adolescens laudavit, frater eius, Faustus Cornelius, Sullae filius [21]. Is in laudatione multa humiliter et cum lacrimis locutus non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat. Ad genua iudicum, cum sententiae ferrentur, bifariam se diviserunt qui pro eo rogabant; ab uno latere Scaurus ipse, et M'. Glabrio [22], sororis filius, et Paullus [23], et P. Lentulus, Lentuli Nigri Flaminis filius, et L. Aemilius Bucca filius, et C. Memmius, Fausta natus, supplicaverunt; ex altera parte Sulla Faustus, frater

20 *per tabulas*) Hotom. et Graevius: *per tabellas* Sigonius. At tabellae hinc plane abhorrent. Laudatio quodammodo est testimonium, et de testimoniis Quintil. V, 7. pr. *dicuntur*, inquit, *aut per tabulas, aut a praesentibus*. Nempe qui laudant per tabulas, dant reo litteras obsignatas, quae ad iudices recitantur. V. vel Or. pro Flacco c. 15. et 16.

21 *Sullae filius*) Decimus est laudatorum, ad iustum numerum. Cic. in Verr. V, 22. „In iudiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere."

22 *M'. Glabrio*) Sigonius vitiose praeposuit *L.*, Hotom. et Graevius *M.* Atqui hic filius est haud dubie eius, qui Consulatum gessit cum Pisone a. U. 687. ideoque *Manius* Acilius Glabrio. De quo nescio cur fere omnia sint incomperta interpretibus Ciceronis. Hic igitur Scauri sororis nepos (quomodo veteres loquuntur. Vide Iac. Facciolatum in Epistol. philol. post Orationes p. 413. ss.) ante iudicium hoc nusquam commemoratus, postea factus est legatus Caesaris in bello civili. V. Caesar. B. C. III, 15. et aliis loc. Dio Cass. XL, 12. ubi *Marcus* dicitur, incertum, auctoris errore, an scripturae vitio. Mox fuit Praetor a. U. 709. et successor Ser. Sulpicii in Graeciam cum legionibus missus. Cic ad Fam. VII, 30. Neque ab hoc alium intelligo Acilium illum, ex Praetura Proconsulem Siciliae, ad quem epistolae sunt Ciceronis XIII, 30—40. ubi unus est, qui aliquid dicit, Ragazonius. Nempe bis Praetor fuit. Cf. Pighium T. III. p. 409.

23 *Paullus*) L. Paullus, frater Lepidi Triumviri, Cos. a. U. 704.

Scauri, et C. Apronius Limo [24], cui Fausta ante paucos menses nupserat, dimissa a Memmio, et T. Peducaeus, et C. Cato, et M. Olenas Curtianus [25]. Sententias tulerunt Senatores duo et XX, Equites tres et XX, Tribuni aerarii XXV. ex quibus damnaverunt Senatores IV, Equites II, Tribuni II. Cato Praetor, cum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitae mul-

quem Graeci quidem, Plutarchus in Antonio et Appianus, simpliciter vocant *Paulum:* sed hic praenomen videtur addi oportere. Vid. Perizon. Animadv. hist. p. 125. ss.

24 *C. Apronius Limo*) Quaestorem facit anno sequente Pighius l. c. Verum id minus certum. Sed Cic. pro Mil. c. 27. loquitur de *adolescente Apronio*, qui est *L. Apronius* Asconio, in Milon. in fi. Ille non potest diversus esse a nostro, et corruptum est praenomen alterutro loco. Cognomen *Limo* notandum cum hoc exemplo: nam nusquam alibi invenio. *Fausta*, ipsi nuper nupta, filia Sullae Dictatoris, Faustique soror, tribus minimum adulteriis probrosa, (de quo vid. Bentlei. ad Horat. Serm. 1, 2, 64.) item ex h. l. memorabilis tribus viris, quorum primus fuerat Milo.

25 *M. Olenas Curtianus*) *Olenus* nomen servi, cui libertas data a T. Flavio Aug., extat in lapide Gruteri p. 577. n. 3. Ὤλενος. Ex quo *Olenas* potuit formari, quemadmodum ex *Eutychus*, *Trophimus*, *Palladius* ductae sunt formae nominum *Eutychas*, *Trophimas*, *Palladas*. V. Salmas. in Trebell. Poll. p. 278. F. Verum eiusmodi formae neque temporum sunt illorum, sed citeriorum, et multo minus locus hic potest esse homini libertinae conditionis. Hic igitur noster *Olenas* profecto venit ex corruptela, cum nomen, compendio scriptum, cum cognomine coalesceret. Erat scriptum: *M. O. Lenas Curtianus*, id quod legi debebat, *M Octavius Laenas Curtianus.* Sic fuit *Ser. Octavius Laenas Pontianus*, Consul a. U. 884. sub Hadriano. Et nullo non tempore reperiuntur ex Octaviis, Popiliis et Vipsaniis viri cognomine Laenates. Hic M. Laenas ex adoptione habuit cognomen secundum, non, ut vulgo loquuntur, agnomen.

26 *sine tunica — cinctus*) Idem tradit, sed rectius, Valer. Max. III, 6, 7. dicens, Catonem Praetorem hoc vestitu M. Scauri *ceterorumque reorum* iudicia egisse. Ergo non fecit, „quia aestate agebatur," credo, ut ille apud Iuvenalem, qui exclamat: *Iulius ardet, aestuo.* Solebat Cato diu ante Praeturam sine calceis et tunica in publicum prodire, id-

titudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam gravem sententiam habuit; subscriptores eius, M. et Q. Pacuvii fratres, denas, et L. Marius tres graves habuerunt. Cato Praetor iudicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus [26]. In forum quoque sic descenderat, iusque dicebat, idque repererat [27] ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli aetatis sta-

que, ut consentaneum erat, magis notabatur tum, cum etiam Praetor tali habitu in tribunal ascenderet. Vid. Plutarch. Cat. min. c. 6. et 44. Atque sic omnino intelligendus *Cato iuridicinae suae in tempore, humerum exertus*, apud Tertullian. de Pallio p. 115. B. (16. Salm.) quod Salmasius falsissima ratione traxit ad cinctum Gabinum, p. 211. et iterum 351. Et satis aliunde constat, vetustissimum apud Romanos vestitum fuisse togam sine tunica. Vid. Oct. Ferrar. de Re Vest. III, 1. et Analect. c. 27. De ἀνυποδησίᾳ veterum Romanorum loquens Io. H. Vossius in Epistol. mythol. T. I. p. 130. testem citat Vet. Scholiastem Iuvenalis I, 111. qui quidem nihil testatur: conflatum est enim hoc scholium ex pluribus glossis, quarum una est: *nudis pedibus*, quae pertinet ad verba poetae *pedibus albis*. Porro Catonem cum Scipione et Germanico affert in publico discalceatos, adscribens pro testimonio „*Gell.* 13, 21." Inspiciat mihi aliquis Gellium hoc capite: abibit, ut ego, illusus.

27 *repererat*) Malunt *repetierat* A. Patricius ad edita Fragm. Or. Scaur. init. et Pighius Annal. T. III. p. 395. Cur vero? *Novatum* hunc vestitum Catonis ait Plutarchus, et non temere Asconius dicit *repertum*, pro excogitatum, quod aptissimum est in cultu atque vestitu, si diu obsoleta non sine aliqua affectatione prisci moris revocantur in usum. Sed hic gravius quid latet, quod vellem vidissent. Nam haec septem verba, quae antecedunt, *In forum quoque sic descenderat, iusque dicebat*, ut Latinitatem non dicam, pessimam in usu temporum *descenderat et dicebat*, ea quis potest ferre, postquam satis ad rem modo dictum erat, Catonem *iudicium* sine tunica *exercuisse*? Certe, si usquam, hic haeret glossema, quo eiecto, haec sunt integra Asconii: *Cato Pr. iudicium, q. ae. a., sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus, idque repererat ex vetere consuetudine.* Reliqui interim illud *quia aestate agebatur*, quod tamen ipsum est dignius nugatore, quam Asconio.

tuae in Capitolio et in Rostris Camilli fuerunt [28], togatae sine tunicis.

28 *Romuli etc. statuae — fuerunt*) Vide Plinium H. N. XXXIV, 6. s. 11. et Heynium in Opusc. Acad. Vol. V. p. 411.

Hactenus Pedianus, pleraque ex Actis urbanis et ex Annalibus Fenestellae, ut suspicor. Accedunt alii duo eiusdem ferme aetatis, a quibus hic Scauri reatus huiusque iudicii successus commemoratur. Alter Valer. Max. VIII, 1, 10. qui Scaurum ait adeo perditam et comploratam defensionem in iudicium attulisse, ut, nisi propter vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris, absolutus non fuisset. Hoc locupletior alter, Quintilian. IV, 1, 69., Ciceronis Or. pro Scauro, ambitus reo, distinguens, ut par est, ab hac pro eodem Scauro, reo repetundarum, addit, Ciceronem bis eundem defendisse, atque illam causam esse in commentariis, (quod Graeci dicunt de suorum causis oratorum, ἐν τύποις, ἐν ὑπομνήμασι, καταλελεῖφθαι. V. Taylor. ad Demosth. Apparatus Reisk. Vol. I. p 331. s. et 561.) Nam Scaurus in illo ingente reip. motu, dum comitia per multos menses trahuntur, (v. Dio Cass. XL, 45. et not. ad c. 17. Appian. B. Civ. II, 19.) iamque rumor nuntiat Dictatorem, duplex iudicium subiit, bis a Triario postulatus, bis defensus a Cicerone. Et prior causa fuit haec repetundarum, quam quidem vicit; ideoque haec Ciceronis in publicum edita defensio est. Hanc unam, non duas, (sic enim errat Patric. ad Fr. Or. Sc. init.) significat haud dubie ad Q. fr. III, 1. ubi Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvisse se scribit; et rursus, Scaurum beneficio defensionis so valde obligasse. De hac Oratione sua ad Att. IV, 16. „Scaurus erat paucis diebus illis absolutus, *cum ego partem eius ornatissime defendissem.*" ubi convenit mihi cum Ernestio, non recte sic legi. Corrigo: *cum ego pro parte mea rem eius ornat. def.* Nam defenderat cum quinque patronis, quorum orationes videtur haud satis probasse. Iam igitur Scaurus ad summum honorem vehementius tendit; immanis ambitus, de quo candidati omnes postulati, iterumque a Triario Scaurus. In quo demum iudicio est damnatus atque exilio, ambitus poena in Senatore, multatus. V. Cic. Off. I, 39, 3. et Appian. B. Civ. II, 24. (ex quo iuvabis Heusingeros ad loc. de Offic.) Haec igitur altera defensio relicta est ἐν τύποις. Quae quidem omnia, vix percursa summatim a me, multo explicatius possunt evolvi, et vero ad iustum historiae tenorem repraesentari, ex ipso Cicerone, si scriptae illo anno eius epistolae melius, quam factum est adhuc ab ullo interprete, explorantur. Vide ad Att. IV, 15. 16. 17. ad Q. fr. II, 15. et 16. III, 1. 2. 3. et 8.

ORATIONIS PRO SCAURO
FRAGMENTA INEDITA.

....Non habuisti quod dares? habuisse se dicit. Quis id 1.
sciet? quis id iudicavit non fuisse? Causam fingit fuisse. Quem

§. 1. *Non hab. quod dares*) Puto agere Ciceronem de frumento, quod iniuste exegisse in Sardinia Scaurus fortasse arguebatur. Vide notam sequentem. Et haec quidem Oratio est de Scauro filio: caeterum de Scauro patre ad quem res frumentaria translata etiam fuit, vide Cic. pro Sextio cap. XVII. et in Verr. Lib. III. cap. XC. Mai.

quis id indicavit) An *indicabit?* nam et frequens est *v* et *b* commutatio, et praecedens *sciet* videtur postulare futurum tempus. Sed difficile est verum cernere in laceris his exordii tabulis, quas quasi e naufragio redemit surgens aevi felicitas. Quis enim constituet, quisnam sit ille, quem Tullius ait dixisse, se habere, aut quaenam illa res, quae dari debuerit, aut denique ignotus ille homo, cuius impudentia non possit confutari? Nam qui de Scauri accusatore Triario cogitaret, unove eius subscriptore, nae is erraret, cum ex Asconio manifestum sit, eos tales fuisse, qui per ora fori volitarent. Cr. Principium hoc, ut hinc statim ingrediar dicere quod sentio, nihil est aliud, quam ultima pars disputationis adversus testem, unum arreptum ex turba Sardorum, qui erant inducti ad testimonia dicenda. Nam qui dicitur *ignotus homo*, et cuius *impudentia* arguitur, sane non est diversus ab illo, qui bis postea appellatur *ignotus testis*, §. 5. et 21. prorsus ex more defensionum in his causis repetundarum, ubi in testibus, peregrinis plerumque hominibus, toties notatur, quod sint igno-

refellemus? Potuisse non dare se: noluisse, ut ereptum esse diceret. Quae potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare? Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso et coacto sollicitatoque periurio subtiliter, nec acu quaedam enucleata argumenta conquiram: sed

ti, eisdemque saepe *impudentia*, interdum *os* et *audacia*, exprobratur, ut Asianis pro Flacco c. 10. et 17. Gallis pro Fonteio c. 10. et al. locis. Deinde *disputare*, *refellere*, *confutare*, verba sunt propria et quasi fixa in contentione patronorum cum testibus. Sic Cicero in eisdem Oratt. passim; sic Quintilian. V, 7, 9. Plin. Ep. III, 9. 24. aliique. Denique Oratori cum teste rem esse, ipsa docet ratio dicendi, conclusiunculis pugnans, plane ut in hoc genere fieri solet, maximeque etiam ille ab uno ad omnes transitus: *Non agam igitur* etc. Tantum de homine. Rem si quaerimus, neque haec tota latet. In his enim indiciis, quae maximam partem crimina avaritiae continebant, pleraque illuc solent redire, quod in provinciis homines coacti sunt *dare*; et ipsum hoc, *dedimus*, saepe auditur in querelis testium. Vide pro Flacco impr. c. 10. et 17. Quo pertinet huius Scaur. Orationis fragmentum e Prisciano VI. p. 689. *Cum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus.* ubi Sigonius in Fragment. Cic. p. 163. id, quod iste Sardus nollet Scauro dare, putat fuisse uxorem. Quanquam in frumentaria provincia aliquanto ad fidem pronius est, imperari quod possit moli, quam quod permoli. Certam correctionem nemo intelligens exspectabit in abrupto loco. Tamen paullo clariora erunt haec ab initio, constituta hoc modo: „*Num* habuisti quod dares? Habuisse se dicit. Quis id sciet? quis id indicabit non fuisse? Causam fingit fuisse. (scil. cur non daret.) *Qui eam* refellemus? Potuisse *non negat* dare se: noluisse", etc. Locus persimilis formae, et quem contulisse iuvabit, est pro Flacco 10. §. 23. Heinr.

periurio) Testium, credo, quos in scenam produxerat Triarius, quosque, antequam solemne suum *Arbitror* pronunciarent, iureiurando adactos fuisse, satis constat. Cr.

acu enucleata) Proverbialis locutio, qualis illa: *ad acunculam capitis usque*, in *L.* 1. *C. Th. de repud.* Cr. Apud Ciceronem uno tantum loco adhuc extabat acus, in Miloniana, ubi est *vulnus acu punctum*. Sed satis nota sunt illa apud Plautum, *rem acu tangere*, et *acum invenire:* ad quorum similitudinem

contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unusquisque mihi ex illorum acie 2. protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum. Tota est acies illa uno impetu prosternenda. Est enim unum maximum totius Sardiniae frumentarium crimen, de

de minuta et nimia quadam diligentia novatum hoc est aptissime, ***rem acu enucleare.*** Delitescit tertia acus alicubi apud Ciceronem, quam a nemine dum inventam demonstrabo. De Fin. B. et M. IV, 3. nuper Goerenzius edidit, acceptum a Marso: ***nec more hominum vellentium spinas, ut Stoici, nec ossa nudantium.*** Sed libri impressi scriptique habent, ***hominum de spinas vellentium.*** Undenam illud ***de***, propagatum per libros? Spinas tenues, cuti infixas, acu evelli, quis nescit? Corrige: ***nec more hominum acu spinas vellentium.*** Vox ***acu*** in praepositionem corrumpi potuit pluribus modis: qua quidem de re admonere peritos non est necesse. Heinr.

contra impetum — confligam) Singula verba comparata ad imaginem pugnae et dimicationis: quomodo in actione adversus testes loqui solent Latini, ut Quintilianus per totum caput de testibus V, 7. Eo pertinet etiam in seqq., praeter alia, v. ***protrahere***, quod ipsum sic ponit Quintilian. §. 19., proximum ad illud in Satira Horatii ex certissima Bentleii emendatione, ***quemvis media arripe turba.*** Exemplum autem cadentis linguae et eius ἀκυρολογίας, qua paullatim ad barbariem deducta Latinitas est, habes in hoc verbo apud Iurisconsultum in Digest. tit. de testibus (XXII, 5.) l. 1. §. 2. ***ne — superflua multitudo testium protrahatur.*** Heinr.

§. 2. ***Non est unusquisque***) Attende artificium Oratoris, qui cum causae diffideret Scauri, quem forte pluribus videret premi testibus, non, quod oportebat, ad singula testimonia confutanda descendit, sed in omnes hac una spongia utitur, ut Sardos dicat et vel ideo omni fide destitutos. Cr. De hoc artificio praecipit patrono Quintilian. V, 7, 23. sic loquens, ut sit credibile, Tullianam ipsi artem ex Oratione hac obversatam esse. Heinr.

Est enim — frumentarium crimen) Hinc prorsus apparet, hanc Scauri causam partim saltem fuisse frumentariam, quod nondum liquebat. Nam Asconius in Argumento edito tantum dicit: „Ex praetura Scaurus provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde

quo Triarius omnis Sardos interrogavit: quod genus uno testimonii foedere, et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, Iudices, ut me

arroganter." Liber tertius Ciceronis in Verrem totus est de re frumentaria in Sicilia. In quibus igitur capitibus Tullius Verrem toto eo libro pro Siculis accusavit, in iisdem fere hac Oratione Scaurum contra Sardos defendisse puto. Et bene paulo infra haec causa Sardiniensis a Cicerone comparatur cum Sicula, siquidem idem Tullius in Orat. Pompeiana cap. XII. Sardiniam et Siciliam inter frumentaria subsidia reip. numerat. Iam praefecti rei frumentariae dicebantur, quibus cura erat conquirendi in provinciis frumenti, quod in horrea publica conveheretur: quod munus quantis criminibus esset obnoxium, facile patet. De frumento decumano, empto et aestimato, deque fraudibus in his exactorum, vide sis iam laudatum Librum III. in Verrem. MAI.

unum maximum) Augmentum hoc superlativi plane Tullianum. In ipsis huius Orationis fragmentis ex Asconio servatis: *quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus*. Alia exempla dabunt Interpretes Epistol. ad Div. I, 9. IV, 7 et 13. Praeterea animadvertendum est, totum hunc locum ex ironia constare. Nam cum in more esset positum, ut, qui quem de repetundis postulare vellent, ii delato reo a Praetore inquirendi dies peterent, ad peragrandum provinciam quam administrasset, ut inde oculatos testes arcesserent et legatos impetrarent, huiusmodi quidem dies Scauri accusator impetraverat tricenos, nec tamen, teste Asconio, profectus erat, causatus, instare comitia, et timere se, ne Scaurus interea Consulatum obtineret, sicque accusationem eluderet. Videtur igitur non nisi Sardos aliquot, fors Romae tum commorantes corrogasse, et, quasi cum iis universa provincia sentiret, testes in iudicio stitisse. Inde scommata Ciceronis de *tota* Sardinia et Sardis *omnibus* interrogatis, deque *uno* eorum foedere et *omnium* consensu. CR. Segregatum hinc vellem illud de *tota* Sardinia: nam quod ait Orator, esse maximum *totius Sardiniae* frumentarium crimen, non significat crimen, quo tota Sardinia reum arguat, sed quod sit maximum criminum cunctorum, quae in Sardinia, frumentaria provincia, perpetrari possint: plane ut *Hispaniae, Galliae, vitia et flagitia* habemus in Supplemento Or. pro Flacco §. 1. ubi v. not. Tum vero ad vim sententiae, meo iudicio, hic abesse non potest pronomen *hoc*, idque excidit ante v. *unum maximum*, quemadmodum dicit post paullo §. 3. *hoc terribile et formidolosum frumenta-*

totius nostrae defensionis quasi quaedam iacere fundamenta patiamini: quae si erunt ut mea ratio et cogitatio fert, postea et constitutam illam accusationis partem pertimescam. Dicam

rium crimen. Cuius criminis magnitudinem praeclare explicat locus Verrinae III. c. 5. Postremo de ironia et scommatis, num sint aliqua illis in verbis, ego vix audeo quidquam alterutram in partem statuere. Incertus est enim locus de testium productione in hoc iudicio; quemadmodum omnino multa sunt, quibus plus lucis exoptares, ea in parte capitalium iudiciorum: quo nomine minus miror, si quem video vacillare vel in re aliqua, quae dubio caret, ut Spaldingium ad Quintil. cap. laud. §. 25. Voluntarios testes sane haud paucos dedisse Triarium in prima actione, manifesto indicant verba, nullius ironiae suspecta, §. 5. quorum quidem testium numerus amplissimus erat definitus quibusdam legibus, uti Iurisconsultus ait in Dig. l. d. quas leges Serviliam repetundarum Brissonius Select. Antiq. II, 17. intelligit, nescio, quo auctore. Minatus etiam erat omnes centum et viginti invitos, quibus lege, incertum qua, denuntiare testimonium licebat: qua in re ipsa verba Triarii supersunt apud Valer. Max. VIII, 1, 10. Sane non ierat is inquisitum: attamen potuit in tempore comparavisse e provincia homines, qui Romam advecti, cum in iudicio interrogarentur, facerent fidem, unam esse adversus Scaurum consensionem omnium Sardorum. Quid? quod ipse Triarius *omnes Sardos interrogavit.* Num in iudicio, ubi interrogari, seu rogari, testes solent? quod, ut mihi videtur, per ironiam ne potuit quidem dici. Fuit ipse igitur, antequam Praetor inquisitionis tempus daret, quod non accepit, in Sardinia; illic, non in iudicio, interrogavit passim Sardos: sed postea dixit in accusatione, interrogavisse se omnes, et in easdem querelas illos omnes consensisse; id quod deinde confirmatum est testibus. Ita paene inducor, ut nihil omnino ironiae esse in toto hoc loco existimem. Heinr.

Triarius) Nomen accusatoris, de quo Asconius in argumento Orationis edito. Mai.

§. 3. *postea et — pertimescam)* Rescribendum esse *nec*, sensus aperte clamat. Cr. Non pauca sunt in his Fragmentis exempla eius peccati, quo incogitans librarius vocabula omittit. Itaque manum Ciceronis videor mihi instaurare legendo: *postea et constitutam illam accusationis partem non pertimescam.* „Ne offendat *et — non*, cum *nec* poni potuisset: semper enim sic auctor, si in negatione vis cernitur." Ita perdiligens Tulliani sermonis observator, I. A. Goerenzius, ad II de Fin. 10. p. 168. quem tamen mallem

enim primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro: tum denique ad hoc terribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.

4. Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum, ut inquisitum non ieris, quae fuit ista tam ferox tam explo-

dixisse: si negationem vult fortiorem esse. Adde, quod ipsum *atque* — *non* sic ponit Cicero. De Prov. Consul. c. 8. *atque illam interpellationem mei familiarissimi non pertimescam.* Neque etiam illud videtur nullius esse momenti, quod innumeris locis in Ciceronis sermone *non* sic ponitur proxime ante ipsa haec verba, *pertimescere* et *extimescere*. Heinr.

§. 4. *ut inquisit. non ieris*) Reprehendit Cicero Triarium accusatorem, qui damnari Scaurum vellet, licet in Sardiniam ad inquirendum non ivisset. Quod de eodem Triario narrat etiam Asconius in Argumento. Mai.

tum vices gerit patroni — detulisse) Locus in Codice corruptus sic habet: „cum vices geritur patroni iniurias nomen inquit Muttonis" etc. Lucem aliquam affert huic loco Cicero ipse in Fragm. Orat. pro Fundanio cum ait: *Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest.* Mai. In loco manifeste depravato frustra laboro, incertus, quae fuerit species, casum vulgo dicunt, et quid h. l. sit *vices patroni gerere.* Id certum habeo, libertinum hunc, sive Velium sive Villium, patroni sui e manumissione non potuisse in causa capitis procuratorem fuisse; id enim contra iuris disciplinam est, et Papinianum in *L. 13. Dig. de publ. iud.* Si liceret ponere, liberti patronum e causa civili, puta delicto privato, quorsum spectare potest verbum *iniurias*, reum actum fuisse, eique extitisse procuratorem Velium, qui deinde vindictae gratia actorem Mutonem capitis postulaverit, propius a scriptura Cod. foret legere: *dum vices gerit sui patroni iniuriae nomine, inique Mutonis* scil. nomen, *hominis sordidissimi, detulisse.* Sed nihil definio, non consuetus alios docere, quod ipse non intelligo. Cr. Nondum hunc solvere possum fortasse, et eximere dubitationem omnem. Vere profecto ex v. *inquit* Codicis sui ernit *Quinti* nomen vir praeclarus, Mediolanensis editor: quae quidem etiam alibi reperitur in libris confusio. De ceteris vel ipsa Latinitas movet suspicionem. Ut nihil dicam de syntaxi *dum gerit,* in hac quidem iunctura (ne quis erret) de soloecismo suspecta: primum bona aetas non agnoscit loquendi genus *vices gerere;* deinde, quamvis sint usitatae et legitimae formulae, *deferre nomen,* vel *crimen,* ad Praetorem, et rursus,

rata huius opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor, Vaelium libertinum hominem, dum vices gerit patroni, in ius nomen Quinti Muttonis hominis sordidissimi detulisse: a quo cum quaereretur, quam provinciam, aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro bovario inquire-

vocare, producere, adducere in ius, tamen aliud est, ex duabus formulis antiquis et usitatis tertiam procudere, novam eam atque insitatam, *nomen deferre in ius.* Sed vide mihi scripturam Codicis: *cum vices geritur patroni iniurias;* in qua sunt integra omnia, praeter illa, *vices geritur.* Haec si expendis, ut in Cod. scripta sunt, VICESGERITUR, non difficile erit et ipsa persanare. Legendum proxime ductus in Codice, totidemque litteris: *cum ulcisceretur patroni iniurias.* Homo volebat ulcisci patroni iniurias, i. e. patrono prius factas ab altero: quemadmodum loquuntur Latini, Graecos imitati, imprimisque in hac ipsa voce Tullius. Sic *nostrae iniuriae,* quas nos accepimus, de Invent. Rhet. I, 54. et Divinat. Verr. c. 20. bis itidem dicuntur *Hispanorum iniuriae,* et *Egritomari iniuriae.* Cf. de eodem usu similium vocabulorum, praeter alios, Muret. ad Cic. Catilin. II. Opp. T. II. p. 583. et Taylor. ad Lysiam p. Reisk. 239. Add. Plin. Epist. III, 4, 5. „Veniebat in mentem, priores nostros etiam singulorum hospitum iniurias accusationibus voluntariis exsecutos." HEINR.

a quo cum quaereretur) Codex *quaeretur.* MAI. Inde facilius *quaeritur* legas, nempe a Praetore quaestionis. Disce autem hinc novas accusatorum artes. CR. Facili syllabae geminatione (v. inf. ad §. 21.), quod rectum est, dedisse videtur Cl. Maius. De re verbum adiiciam. Nomine delato, Praetor dabat *inquisitionem*, id est, ut olim in foro dicebant, permissionem informandi; et hic noster accusator Mutonis, cum facta in provinciis crimina detulisset, tamen parum definite, in qua provincia deberet potissimum fieri inquisitio, significarat. Ex accusatore igitur quaerebat Quaesitor, *quam provinciam* peteret ad inquirendum, aut, si profectione forte non opus esset, *quam diem testium,* qua praesentes testes exhibere interrogarique vellet. (*Diem testium* hinc annotemus, sic dictam raro exemplo.) Iam ille, reum contemnens, rogat ioco acerbo, non provinciam, sed *forum boarium*, nec praefinitam diem testium, sed illius diei *horam octavam,* cum, peractis solito tempore diurnis negotiis, posset lustrare forum boarium: ibi inter bubulcos et de sordida plebe circumforaneos facile inventurum se esse, quos dignos Mutone eiusque facinorum conscios proferret.

5. ret, postulavit. Hoc tu idem tibi in Aemilio Scauro putasti esse faciendum. Atqui hominis prudentis natura, callidi usu, doctrina eruditi, tamen ego mihi provinciae causam in provincia ipsa cognoscendam putavi. An ego querellas atque in-

Notat Orator accusatorem *libertinum hominem*, propter impudentiam talis apud Praetorem convicii. De *hora octava* conf. Horat. I. Epist 7, 47. et Martial. IV, 8, 4. Ceterum peculiares sunt Codicis huius scripturae, *Vaelius, Mutto, bovarium,* ut aliae aliis locis; et *Vaelius* quidem scriptum pro *Vellius*, eadem ratione inculcandae diphthongi pro duplici *l*, qua *paelicatus*, pro *pellicatus*, habet hic Codex inf. §. 18. *Vellius* autem nomen Romanum; unde *Velleius*, qui ipse M. Vellius Paterculus scribitur apud Priscianum in MSS. (v. ad eius Histor. Rom. init. et P. Pithoeum ad Coll. Leg. Mos. et Rom. p. Lips. 739. Iurispr. Anteinst. Schulting.) quemadmodum e Fontio Formatum Fenteius, e Proculio Proculeius, e Pompio Pompeius, etc. Sed satis habeo, haec tetigisse, quae persequi longum est. Heinr.

§. 5. *Atqui hominis — eruditi*) Equidem sentio, quid velit Orator: exemplum suae in causa Verris inquisitionis opponere levitati Triarii. Sed neque, unde genitivi illi casus pendeant, video, et commodum requiro transitum ad eam, quae nunc nimis abrupta est, comparationem sui et Triarii. Autumo, subesse lacunam. Cr.

tamen ego mihi — putavi) Meminit causae Verrinae, ad quam cognoscendam Cicero inquisitionis tempus in Siciliam postulavit dies CX. ut narrat Asconius in Argumento Actionis I. in Verrem. Mai.

querellas) *Quaerella* pro *querela* scribitur constanter in hoc et aliis antiquissimis Codicibus, quos vidi. Sed diphthongum tollendam puto propter Codicum et aliquot etiam Inscriptionum auctoritatem. Sic in antiquis Codicibus Ambrosianis saepe vidi *tutella, medella.* Mai. *Querella* constanter in MS. Pandectarum Florentino scribitur. Vid. *Brisson. in Parerg.* §. 46. et adde *Reines. Inscr.* XIV, 112. Cr. *Quaerellam,* cum diphthongo, uno ex vetere lapide, *querellam* ex multis lapidibus affert in Orthographia A. Manutius. Cf. Forcellin. in Lex. v. *querela* in f. Heinr.

halitu) In Ciceronis textu nos raro admodum litteras aut verba supplemus, eaque ipsa charactere diverso et maciore semper distinguimus, ut hic priores duas litteras vocabuli *ha*litu. Mai.

iurias .... *ha*litu Aetnam ardere dicunt; sic Verrem operuissem Sicilia teste tota tuo Coperendinastium teste producto. At quo teste, Di immortales! non satis quod uno, non quod ignoto, non quod levi. Etiamne Valerio teste primam

Coperendinastium teste prod.) *Coperendinastium* urbem (si ita intelligendus est locus) in Sardinia non vidi memoratam apud Geographos veteres. Codex ita habet, sed corrigatur *comperendinantium*. Mai. Comparare Tullium suam cum Verre contentionem cum Aetnae eruptione pronum est, et quemadmodum ille Cyclopum fabrica totas urbes obruerit arena, ita se Verrem tota Sicilia teste obruisse. *Verrina I.* 7. *his testibus, et urbanis et provincialibus, sic obrutus atque oppressus est.* Ibid. II, 62. *obruitur enim aratorum testimoniis.* Hanc suam in testium inquisitione diligentiam iam componit cum Triarii negligentia sive ferocia, quae tanta sit, ut vel uno praecipuo teste, de quo statim, hanc secundam actionem, eam enim iam nunc intentam fuisse patet ex seqq., existimet se peragere posse, quemadmodum in prima actione Valerio solo teste usus fuerit, antequam comperendinaretur. Qui sensus, si Ciceronis sit, vide, an recte coniecerim legendo et distinguendo: *sic Verrem oper. Sic. teste tota; tu, uno comperendinatione teste producto* Cr. Falsum est haud dubie *operuissem*. Nam Latine nemo potest *operiri* testimoniis, sed *obruitur:* quanquam dicitur esse aliquis *opertus*, vel *coopertus*, *sceleribus*, *contumeliis*, *infamia*, ex Gr. *αἰσχύνῃ περιβαλεῖν τινα.* Id quod Franci ad famam suarum rerum gestarum transtulerunt, seque suo sermone coeperunt dilaudare *gloria opertos*. Egregie! Fraudem fecit librario, quod in libro, quem transcribebat, vidit scriptum *opruissem*, pro *obruissem*; ut *opterere*, et id genus alia. Nec aliter est explicanda eorundem verborum confusio in loco de Offic. III, 11, 9. Sed totum hoc, accurate secutus vestigia Codicis, corrigo haud cunctanter: *sic Verrem obruissem Sicilia teste tota: at tu coperendinasti uno teste producto.* Scriptum fuit in exemplari: *totatu*; quod cum geminandis mediis litteris legi posceret *tota at tu*, id fefellit librarium. Et vetus est quaedam scribendi ratio *coperendinare*, cum *m* littera parum exprimeretur pronuntiando, moxque etiam scribendo omitteretur: quomodo in veteribus inscriptionibus hae formae extant, *Olypus* et *Olipica*, pro *Olympica*. Idque ubi annotat Reinesius, ad Inscript. XII, 112. iubet consuli de hac re *Eponymologicum* suum, opus multis nominibus expetendum, posteaque locupletatum atque editioni destinatum a Cph. Sa-

actionem confecisti? qui patris tui beneficio civitate donatus gratiam tibi non inlustribus officiis, sed manifesto peiurio retulit. Quod si te omen nominis vestri forte duxit, nos tamen

xio, quod utinam non diutius pateretur latere haec aetas chartarum prodiga! Sequitur hic, *At quo teste*, uti *at* saepe dicitur in vehementiore sermone, velut in loco perapposito pro Flacco c. 4. „De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis? *At quos testes?* Primum dicam, Graecos." etc. Levis est momenti, aut nullius, quod *at* ex illa correctione modo praecessit. Alioquin hoc facile esset mutare in *Et:* nam id similem vim habet, rarius tamen. Heinr.

peiurio) A *peiero peiurium*. Pagina 16. [§. 1.] tamen *periurio*. Mai. Immo a *peiuro*, *peiurium*. Vide Priscian. I. p. 554. l. 28. Heinr.

omen nominis vestri) Quid *nominis vestri* hic sit, non extrico. De liberto, teste Triarii, sermonem esse video; cum Latine patronorum suorum *nomen* dici posse, vix credo. In vado res est, si legas: *nomen hominis vestri*. Per contemtum *hominem* dixit, ut servos simpliciter homines vocare solemus. Cr. Sic Catullus *ad lecticam homines*, et Orator in Quintiana c. 19. *hominem P. Quintii* servum dicit. Fac, praeter servos, etiam eos, qui desierant esse servi, a alterius *homines* appellari: nonne, si libertus is Valerius fuisset, tamen de eo dixisset aliter Orator? Credo, legeremus huic testi obiectum, ut Sarmento Horatiano, quod catenam donasset ex voto Laribus. Porro, cur de Valerio hoc, quem dicit *patris beneficio civitate donatum*, ipsis eisdem verbis utitur, quibus vulgo significat peregrinos, alicuius rogatu cives Romanos factos? Sic in Verr. IV, 17. dicit Q. Lutatium Diodorum, Lilybaetanum, *qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla civis Romanus factus est*. Aliud est exemplum in Epist. ad Fam. XIII, 30. ubi v. Manutium; it. 35. Quin plura in hisce Fragmentis inf. §. 15. ubi v. not. Adde, quod ipse Cicero nos docet pro Balbo c. 9. multos ex Sardinia, uti ex ceteris provinciis, stipendarios fuisse civitate donatos. Uno verbo, hic noster homo est eiusdem conditionis, ut nominatus postea Cn. Domitius Singaius, item peregrinus, seu provincialis, ex Sardinia, dictus L. Valerius (v. not. 5. ad Ascon. Argum.), a Triarii patre, qui ei civitatem impetraverat, fortasse ex militari commoratione in Sardinia de se bene merito. Neque igitur mihi quidquam est integrius, quam verba haec Codicis, *omen nominis vestri*. Est omen nominis Valerii. V. scholium ad h. l. Heinr.

id more maiorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista celeritas ac 6. festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem sustu-

prior. actionem sustulisti) Iudicia paene omnia apud Romanos in duas actiones dividebantur Siquidem lex erat, ut post primam actionem secunda posset institui, in qua iterum acta causa, demum sententia ferretur. Utriusque exemplum est in Verrinis. Nam post primam actionem fingit Cicero adesse in iudicio Verrem comperendinatum, ideoque in eum secundam actionem intendit quinque libris constantem. Videndus Sigonius de Iudiciis Lib. II. cap. XIII — XXI. Mat. Quomodo id factum sit ab accusatore, ut prior actio tolleretur, ex his fragmentis intelligi non potest, nec memini me alibi legere ab accusante factum. Forsan comperendinationem impetraverat, ut beneficio frueretur secundo loco dicendi. Cr. Fuerat quidem comperendinatum, ut supra patuit §. 5. et nonnisi post comperendinationem erat secunda actio. In utraque autem actione primo loco accusatorem et secundo defensorem dixisse, contra dissentientes multis et, ut mihi quidem videntur, sat firmis ad probandum argumentis contendit Ferratius Epistol. in Cic. Oratt. I, 9. Sed *tollere actionem* quid aliud potest esse, quam quod semper est, διαγράφεσθαι τὴν δίκην, τὴν κατηγορίαν? Igitur sic mecum colligo. Dixerat modo Cicero, Triarium primam actionem *confecisse* non uno teste, sed pluribus. Iam rursus dicit, eundem priorem actionem *sustulisse*, idque fecisse festinantem comitiorum causa. Utrumque qui potuit simul recte dici? Potuit nimirum, si quodammodo fieret utrumque. Ne multa, concludo, *confectam* fuisse primam actionem sola testium interrogatione, *sublatam* autem non dicta a Triario accusatione; quae erat longa et perpetua oratio, cui multis saepe interpositis diebus omnes deinceps, et rursus saepe diversis temporibus, rei patroni respondebant. Ergo non bis in hac causa utrimque peroratum est, sed semel tantum. Atque fecit hoc Triarius non novum; licebat sane accusatori in illo liberali liberae reip. iudiciorum ordine; et licuit ipsi Ciceroni in Verrina causa, quin ante Ciceronem aliis in civitate principibus. Nimis obscure rem tangit Sigonius de Iudic. II, 17. Sed vide ipsum Cic. in Verr. Act. I. c. 18. §. 55. et ibi Asconium, apud quem exemplum extat Consulorium duorum, qui cum accusarent L. Cottam (Aurelium Cottam, reum item repetundarum. V. Appian. B. Civ. I, 22.) non usi sunt oratione perpetua, sed interrogatione testium totam causam peregerunt. Heinr.

listi, illud patefecit et inlustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc iudicium iudicii, sed comitiorum consularium causa comparatum. Hic ego Appium Claudium, consulem fortissimum atque ornatissimum virum, mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque ooniunctum, nullo loco, Iudices, vituperabo. Fuerant enim eae partes aut eius quem id facere dolor et suspicio sua coegit, aut eius qui has sibi partes depoposcit. Quod aut non animadvertebat quem violaret, aut facilem sibi fore reditum in gratiam arbitrabatur.
7. Ego tantum dicam quod et causae satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse. Quid enim habet

comitiorum cons. causa) Hoc dicit Cicero: Triarium eam dicam Scauro impegisse, ut eum consulatu, quem petebat, excluderet. Quod confirmat Asconius in Argumento. MAI.

mecumque — coniunctum) De simultatibus et reconciliatione Ciceronis cum Appio Claudio vide epistolas plures Libri III. ad Familiares. Et quidem pro Milon. XXVII. scribit Cicero: *Appium fratrem* (*P. Clodii*) *hominem mihi coniunctum fidelissima gratia*. MAI.

Quod aut non animadvertebat) Haec quia necessario vinculo cohaerent cum proxime antecedentibus, sic interpunges: „*aut eius qui has sibi partes depoposcit, quod aut non animadvertebat*" etc. HEINR.

§ 7. *avo Appius*) Ita forte videtur in Codice: sed in dubia lectione non moror, Cicero de Provinc. Consul. VIII. scribit Tiberium Gracchum patrem, fuisse inimicissimum Africani. Sed *Tiberii Gracchi* nomen prorsus non est in hoc Codicis loco. Sunt autem in Codice dubiae lectionis ea verba, quibus nos puncta subscribimus. MAI. De Gracchi et Scipionis inimicitiis et reconcialiatione est etiam *Valer. Max.* IV, 2, 3. ut fere nesciam, an nimis audax sit, qui *an Sempronius Africano* restituat. CR. Restituere mihi haec videor scribendo: *an Gracchus Africano non fuit?* Tib. Gracchus hic pater est Tib. et C. Gracchorum. Vide, praeter Ciceronem a Maio, et Valerium Max. a collega meo laudatum, Livium XXXVIII, 57. et Gellium XII, 8. Volebam addere Plutarchum in Gracchis: sed nihil tale inveni apud eum, mea fortasse culpa. HEINR.

ipse idem iste) Nempe Appius Claudius. MAI.

turpitudinis Appium Claudium M. Scauro esse inimicum? Quid? avo Appius Africano non fuit? Quid mihi ipse idem iste? Quid ego illi? quae inimicitiae dolorem utrique fortasse aliquando, dedecus vero certe nunquam attulerunt. Successum decessor invidit, et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excesserat. Res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiamnum et vulgata.
„Neque vero haec ipsa cotidiana res Appium Claudium illa 8.
humanitate et sapientia praeditum per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudi fratris sui competitorem fore putasset. Qui

Successum) Appius Claudius consulatum gessit anno Urbis DCC. cui ne Scaurus succederet excitata haec causa dicitur, favente adversariis ipso consule Appio Claudio. Ergo causa non anno DCIC. ut in nonnullis editionibus dicitur, sed DCC. orata est. Mai. Conf. ad Ascon. Argum. not. 2. Sed ambigo de „nonnullis editionibus." Levi discrimine dicitur annus 699. nimirum ex altera annos U. C. numerandi ratione, quam ipse Pighius sequitur in Annalibus. Heinr.

quo magis ipsius memoria excesserat) Ulcus sentio, nec tamen sano. Cr. Rem si intueor ac sententiam, mihi apparet, de his inter Appium et Scaurum inimicitiis non aliud hoc loco dixisse Ciceronem, quam quod scripsit ad Lentulum Epist. ad Fam. I, 9. de suis cum Crasso simultatibus, vix paullum compositis et mox in Gabinii causa rursus obortis: „Cum me disputantem, non lacessentem, laesisset, exarsi, non solum praesenti, credo, iracundia: sed cum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum residuum, inscientе me, fuisset omne, repente apparuit." Ergo propter ipsam sententiam, quae est summa emendandi ratio, mihi sic legendum videtur: *quo magis ipse eius memoria exarserat.* De usu huius verbi apud Ciceronem v. Manut. ad l. c. p. 88. Graev. Heinr.

§. 8. „*Neque vero*) Quos versus virgulis distinguimus, ii sunt editi in Fragmentis huius Orationis, quae servavit Asconius. Mai.

C. Claudi fratris) Ecce, praeter binos, quos adhuc e vetustate novimus, Claudios, Appium hoc ipso anno Cos. et Publium, Ciceronis ini-

sive patricius sive plebeius esset (nondum enim certum constituerat) cum hoc sibi certum contentionem fore putabat." Appius autem hoc maiorem etiam, quod illum in pontificatus petitione, in saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. Quamobrem se consule neque repelli fratrem volebat, neque, si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc ali-
9. quo aut metu aut infamia perculisset. Ego id fratri in ho-

micum, iam tertium fratrem certo tenemus, Caium, tum quidem in Asia pro Praetore morantem, sed, uti Scaurus, deliberantem de petendo Consulatu. Cr. Vide notam sequentem. Heinr.

sive patricius sive plebeius esset) Haec Asconius et cum eo Sigonius ad Appium trahunt, et hic quidem cum iusta excusatione, cum de tertio fratre ipsi non constare posset, nondum detecta maiore Orationis lacinia, qua nunc fruimur. Nunc de Caio sermonem esse, nemo dubitare potest, quem quidem Cicero, invidiae causa aut dicit, aut fingit, quemadmodum alter frater, ad plebem transitum cogitasse, vere transiisse non dicit, quod, nescio an recte dixerit Scholiastes. Cr. Audiamus Asconium: „Fuerunt enim duae familiae Claudiae: earum quae Marcellorum appellata est, plebeia, quae Pulchrorum, patricia. Sed hoc loco urbane Cicero lusit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat. Nam quia is P. Clodii erat frater, qui ex patricia in plebeiam familiam transierat per summam infamiam, se quoque dubitare adhuc dixit." Scribit: *Nam quia is P. Clodii erat frater*, ubi *is* pertinet ad Caium fratrem. Fefellit hoc Sigonium, qui quidem Caium fratrem iam tum potuit nosse. Appius ipse, praeter duas sorores, *duos fratres* testatur sibi esse ap. Varron. de Re R. III, 16, 2. Asconius memorat C. Claudium, fratrem Clodii, ac duo eius filios, Appios Claudios (maiorem et minorem,) in Argum. Milonianae, p. 184. Hotom. Dio Cass. XXXIX, 21. eundem Praetorem a. U. 698. quin pro Praetore Asiae praefectum Pighius ad ann. hunc, T. III. p. 399. ex Epist. ad Att. IV, 15. sed deceptus falsa lectione, quae aliquando ex *rhetore* Clodio fecit *Praetorem*. Adde Manutium in Epist. ad Fam. VIII, 8. et Reinesium ad Inscript. VI, 116. Heinr.

cum hoc sibi certum — putabat) Videtur corrigendum *certam*. Narrat autem Cicero Pro Domo sua ad

nore fratris amplissimo non concedendum putem? praesertim qui quid amor fraternus valeat, paene praeter ceteros sentiam. At enim frater iam non petit: quid tum? si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus civibus, sociis exoratus anteposuit honori suo commoda salutemque provinciae, propterea putassem et exulceratum animum facile potuisse sanari? Quamquam in-

Pontif. XIII. et XIV. P. Clodium in gentem Fonteiam per adoptionem transisse, ut e patriciis videlicet exiret, et tribunus plebis fieri posset. Qui locus Ciceronis hanc illustrat partem Orationis pro Scauro. Mai. Non muto Codicis scripturam, si proba est. Sed saltem non praetermittenda erit varietas apud Asconium: *cum illo sibi contentionem f. p.* Historiae autem potiores sunt, quam ille pro Domo sua declamator, auctores Dio XXXVII, 51. et ceteri, quos indicat ibi Fabric. Heinr.

in saliatu) Hinc notandum voc. *saliatus:* quod cum careret adhuc idoneo auctore, Ciceronem nunc habet, ocius addendum Lexicis. Heinr.

si patricius esset) *Si* pro etiamsi, ut multis iam notatum est, v. c. Fornerio ad L. 239. Dig. de V. S. et Herm. Cannegietero Obs. II, 3. Cr. Adde, praeter alios, Ruhnkenium ad Velleium p. 215. Heinr.

§. 9. *retentus a c. Asia*) Recole superius scholium, ubi iste Claudius dicitur Asiae praefuisse praetor. Mai. Vide Scholia in appendice ad Fragm. haec. Heinr.

ab omn. civibus, sociis exoratus) Ita *Sueton. Tiber. c.* 11. *exorare filiae patrem.* Nescio tamen, qui dativus hic displiceat hoc loco, ut malim scriptum fuisse *ac sociis.* Enumerat Cic. non quibus, sed per quos exoratus sit Claudius, et a summis incipiens ad infimos progreditur, in quibus si socios siluisset, maximam omnium turbam praetermisisset. Cr. *Cives, socii* iunguntur sine copula. Legitur ap. Velleium I, 4, 1. „Athenienses in Euboea *Chalcida, Eretriam* colonis occupavere." Ad hoc Ruhnkenius: „Editor Basil. inseruit copulam *et.* At sic etiam I, 14. *Ariminum, Beneventum* coloni missi. II. 20. *Mario, Sulpicio.* Ibid *auctoritate, gratia.* De copula inter duo substantiva omissa vide Drakenb. ad Liv. I. 59." Qua copulae ellipsi apud ipsum Cic. vix quidquam est crebrius, eaque res nuper animadversa ad locos multos librorum philosophicorum. Dixit Suetonius novo

istis omnibus rebus, praesertim aput homines barbaros, opi-
10. nio plus valet saepe quam res ipsa. „Persuasum est Sardis, se nihil Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint." Multorum etiam spe commodorum praemiorumque ducuntur. Omnia consulem putant posse, praesertim ultro pollicentem. De quo plura iam non dicam. Quamquam ea quae dixi non secus dixi, quam si eius frater essem: nec

modo ***exorare filiae patrem***, quasi ἐξαιτεῖσθαι θυγατρὶ τὸν πατέρα, ut Attici, sed alio cum intellectu, loquuntur. Nempe ista aetas, quae coepit hellenismos affectare, non raro etiam abutitur hellenismis. Heinr.

§. 10. *Persuasum est Sardis*) Hi duo versus sunt editi in Fragmentis Orationis huius, collecti scilicet ex Arusiano Messo. Mai. Patet iam error Sigonii existimantis hanc laciniam in Exordio positam fuisse. Eam e Frontone servatam esse dicitur in Ed. Graevii, quod item errore non caret. Cr. Apud Sigonium in Fragm. Cic. non extat hic locus, Sigonio necdum cognitus: sed legitur in Fragm. inde a Gronovio, ni fallor, cum nomine hoc, *Fronto*. At Cl. Maius prodit auctorem Arusianum Messum. Quae res sic se habet. Diu erat notus libellus MS. hoc fere titulo: *Arusiani Messii V. C. Or.* (Oratoris, i. e. Rhetoris, non *Gr.* tanquam Grammatici, quod alii falso substituunt, corruptum etiam rursus in *Cr.* V. Ruhnk. Praef. ad Rut. Lup. p. XXVI.) *Comitis primi ordinis. Quadriga, s. Exempla elocutionum ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone, per litteras digesta.* Quem libellum ineditum apud Clericos Regulares Neapoli sibi visum memorat Io. Rhodius in Lex. Scrib. p. 344. descripserat cum aliis Grammaticis Nic. Heinsius, et eius testimonio frequenter utitur in Virgilio; habebat, ut videtur, ex Heinsii apographo, Ruhnkenius, ex eoque locos Sallustii profert ad Vellei. p. 151. 240. 300. et 365. habuit item a Godofr. Graevio, Io. Georgii fratre, Consule Lipsiensi, A. Stubelius, qui cum discerptum stulto instituto vellet inserere suis locis a se edito Bas. Fabri Thesauro, sic fecit, ut post ipsum etiam is pro non edito esset habendus. Coeperat denique edere P. Bondamus, ICtus Ultraiectinus, cuius Annotationes et duo folia typis descripta commemorat Cph. Saxius, Onomast. P. I. p. 511. Adde Burmann. de vita N. Heinsii, ante huius Adversaria p. 9. eundemque in Praef. Virgil. p. 41. Illum libellum in quibusdam Codd. delegari ad Cornelium Frontonem, disco ex Io.

is qui et est et qui multa dixit, sed is qui ego in meum consuevi. Generi igitur totius accusationis resistere, Iudices, debetis: in quo nihil moderate, nihil considerate, nihil integre: contra improbe, turbide, festinanter, rapide: omnia conspiratione, imperio, auctoritate, spe, minis videtis esse suscepta.

Rhodio l. c. Proditum est ergo hoc fragm. ex isto libello Elocutionum; et hunc tandem nuper integrum publicavit Cl. Maius coniunctim cum Frontone ex Codice Ambros. Sed hoc totum ἕρμαιον, tam exspectatum, haec cum scriberem, nondum videram. Heinr.

nec is — consuevi) Cod. ***non is.*** Mai. Hoc quid sit, videant quibus ius est dicendi in Senatu critico. Ego homo ignobilis et obscurus nego me intelligere. Cr. Mutari non debebat scriptura Codicis, ***non is.*** Nam Orator, loquens de ambobus fratribus Consulis, P. Clodio et C. Claudio, quid inter utrumque intersit, sententiis distinguit contrariis: ***non is, qui —, sed is, qui —.*** Et de illo quidem, quantum ex verbis relictis opinari possum, fecerat mentionem et suarum cum eo inimicitiarum et eius in ipsum Appium orationis saepe acerbae: de hoc ex adverso dixerat benignam sententiam. Locus vitiatus est non tam corruptis singulis verbis, quam omissis pluribus intermediis; quo in genere, ut prius dixi, solet peccare hic librarius: ut nihil hic sit faciendum, quam ut, interpositis quae exciderunt, spatia expleantur vacua. Id praestabit fortasse alter, me opiniosior. Ceterum propter illud, ***non secus dixi, quam si eius frater essem,*** conf. pro Mur. c. 4. in fi. Heinr.

in meum) Forte supplendum ***fratrem,*** aut potius emendandum ***in eum.*** Mai.

rapide: omnia conspiratione) Mallem ope geminationis: ***rapide omnia: omnia conspiratione.*** Sic amat numerosus Tullii sermo; sed facilius talia audiuntur, quam demonstrantur. Quod autem ***imperio*** dicit et ***auctoritate,*** mordere videtur Appium Consulem. Cr. De geminatione vide inf. ad §. 21. Eandem emendandi rationem adhibuit doctissimus item ICtus, P. Faber, ad locum pro Caec. c. 1. extr. ***cum, iis sive creditur, creditur hoc ipsum,*** etc. ubi alterum ***creditur*** abest a MSS. omnibus. Ad quam normam, plures hodieque sunt loci Ciceroniani, qui emendari debent. Vide Goerenzium ad Fin. V. § 95. Heinr.

spe, minis) Cod. ***spem in his.*** Mai.

11. Venio nunc ad testes, in quibus docebo, non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium. Etenim fidem primum ipsa tollit consensio, quae late facta est compromisso Sardorum et coniuratione rogitata. Deinde illa cupiditas quae suscepta est spe et promissione praemiorum. Postremo ipsa natio, cuius tanta vanitas est, ut libertatem a servitute nulla re alia, nisi men-

§. 11. *Venio n. ad testes*) Sardos. Quintilian. XI, 1, 89. loquens de apto: „Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero varie: — Sardos contemnit, Allobrogas ut hostes insectatur." Respicit ipsam hanc de testibus partem. Sed ad testes hos saepius redierat Cicero aliis in locis, quos nondum habemus: quo spectat in Fragm. editis *Sardorum mastruca*, et *pelliti testes*, p. 1012. et 1015. Graev. (p. 1057. et 1058. Ern.) Vide Turneb. Advers. XX, 9. Heinr.

Etenim fidem) Repetitus est hic locus pro specimine *ἰσμαίου* Mediolanensis in Mus. crit. Cantabrig. No. V. Iun. 1815. p. 143. sed cum hac distinctione: *Testium etenim fidem* etc. ubi monet vir quidam doctus de hoc positu voc. *etenim*, cum usitatum non esse prosa scribentibus. Quod tametsi est secus, tamen est pessima illa distinctio et nequaquam ferenda. Heinr.

consensio, quae late facta est) Necessaria et prona est emendatio *patefacta*. Cr. Testium, cum interrogarentur, fuerat consensio. Unde hoc? Quia sic compromiserant et coniurarant, ut interrogati idem omnes pronuntiarent. Ita consensio fuit effectus compromissi et coniurationis, sive, ut Cicero ait, *facta compromisso et coniuratione*, et quidem *late*, per civitates Sardiniae. In Verr. V, 4. *nullaene consensiones factae esse dicuntur?* Heinr.

ipsa natio) Saepe Cicero in Sardos invectus est. In Orat. de Prov. Consul. VII. dicit eos *mastrucatos latrunculos* (fuit autem mastruca Sardiniense vocabulum scorteae vestis). Epist. ad Fam. Lib. VII, 24. de Tigellio Sardo ait: „in lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua." Ibidemque: „Habes Sardos venales alium alio nequiorem." Tam IX, 17. de Sardinia ait: „Nec ullum habet (Caesar) praedium deterius, sed tamen non contemnit." Sed nimirum Ciceroni, praesertim in Orationibus, hic mos fuit, ut ad elevandam testium adversariorum fidem, eas gentes vituperaret, ad quas ii suum genus referrent.

tiendi licentia distinguendam putet. Neque ego Sardorum querellis moveri nos numquam oportere *aio*. Non sum aut 12.
tam inhumanus, aut tam alienus a Sardis, praesertim cum frater meus nuper ab his decesserit, cum rei frumentariae Gn. Pompei missu praefuisset. Qui et ipse illis pro sua fide et humanitate consuluit, et eis vicissim percarus et iucundus fuit. Pateat vero hoc perfugium dolori, pateat iustis querel-

Sic in Orat. pro Flacco, quia testes adversarii erant Graeci, Graecam gentem acerbissimis contumeliis perfundit. Et in Orat. pro Fonteio, ut Gallos testes infringat, genti Gallicae maledicit. MAI.

Neque ego — oportere) Addo *aio*, quod deest in Codice. MAI. Addendum sane *aio*, sed aliter. Lego: *Neque aio* (ex *ego*) *Sard. quer. moveri nos numquam oportere.* Ita sexcenties apud Ciceronem infinitivus *oportere* facit clausulam. Infra in Fragm. Or. pro Tullio §. 4. *quo te aliquid censeam praeterire oportere.* Vide Inv. rhet. II, 16. pr. ubi in quinque versibus *oportere* decies sic ponitur; vide Orat. pro Caecina singulis paginis, ac denique Tullii quemvis librum. Atque hoc iubet omnino lex certa sermonis in ea necessaria parte scientiae, cui recte explicandae iam diu ante sonum insignis critici, et ante tonum mediocris grammatici, fundamenta iecit solida haudquaquam contemnendus philologus, sed non multis ille notus, Augustin. Gabr. Gehlius, cuius librum, sic inscriptum: Ratio ordinationis verbor. priscis Romanis saec. aureo usitatae. Hamb. 1746. in manibus habeo; ubi de illo, quod est huius loci, vid. Praecept. VI. p. 19. HEINR.

§. 12. *cum — praefuisset*) Vide epistolas plures Marci Ciceronis Lib. II. ad Q. Fratrem in Sardinia degentem. Iam vero ex hoc loco Orationis patet, quod olim Paulus Manutius in Commentario ad Epist. I. huius Lib. II. suspicatus fuerat, Q. nempe Ciceronem non alia quam rei frumentariae causa a Pompeio in Sardiniam fuisse missum. Et quidem Pompeium curam gessisse rei frumentariae patet ex Orat. pro Domo sua X. MAI. Immo vero vid. Manutius in Ep. ad Fam. I, 9. et ad Q. fr. II, 6. HEINR.

Pateat vero hoc perf. dolori) Atqui de perfugio nondum sermo fuit; unde pro *hoc* fortasse scribendum *honesto*, vel simile quid, ut sit quod respondeat *iustis* querelis. CR. Accipio *verum dolorem* (non adverbium *vero*), coniunctum cum *iustis*

lis: coniuratio vi intercludatur, obsidietur insidiis. Neque hoc in Sardis magis, quam in Gallis, in Afris, in Hispanis. Dam-

querelis, et illum ipsum pro eo, qui vulgo est iustus dolor. *Verum*, ut *veritatem*, pro iusto et iustitia dici, nemo dubitat; idque etiam nimis sedulo docuerunt tum iurisconsulti tum philologi, velut Muretus Opp. T. III. p. 542. I. F. Gronov. ad Senec. de Ira II, 29. Forner. Rer. quotidian. I, 19. Atque *verus dolor* est in lege Cod. Iust. IX, 9, 30. *quos verus dolor ad accusationem impellit.* Sic Graeci ἀληθὴς et ἀλήθεια. Neque impediam, si verus dolor intelligatur oppositus simulato, ut *veros dolores* dicit Quintil. VI, 1, 28. et 2, 26. *veritas morum:* quod fortasse est aptius illi in §. seq. *Nunc est una vox*, etc. Rursus *hoc perfugium* dicit Orator de indicio, manu demonstrans consessum iudicum. Sic inf. §. 20. *hanc familiam*, monstrans praesentes. Et *hi* saepe in orationibus iudices sunt, ut apud Atticos οὗτοι. Infra §. 23. *ad horum fidem et mansuetudinem confugiam*: quo nihil est propius *hoc perfugium* huius loci. Fragm. pro Tullio §. 3. *ut his aliquid ad iudicandum relinquas.* Denique optimus sui interpres Cicero in Cluentiana c. 3. „magna me spes tenet, si — omnia dicendo consequi potuero, *hunc locum consessumque vestrum* tandem eius fortunae miserae multumque iactatae *portum ac refugium* fuisse." Heinr.

obsidietur) Cod. *obsidiatur.* Mai. *Obsidiari* deponentis verbi forma usum esse Columellam, Lexica indicant. Quid igitur? an passive usus est Tullius? quod in multis similibus verbis postea factum esse, non eget demonstratione; an nondum obsoleverat tum activa forma, ut *obsidiari* vere fuerit etiamnum passivae significationis? Constat enim, quae, quod pristinum significatum deposuerint, Grammaticorum filiis deponentia dicuntur, olim utraque forma et activa et passiva, atque utraque etiam significatione, in usu fuisse. Vid. *Vossium de Anal. III*, 6 et 7. Sane, quae nunc utravis ratione non nisi deponens est, *insidiari* vox, eam active extulit Callistratus ICtus *L.* 28. §. 11. *Dig. de Poen.* ubi: *servi qui saluti dominorum insidiaverint*, quod cum concoquere non posset Haloander, contra veteres editos et MSS. mutavit in *insidiati erunt.* Adfert *Sc. Gentilis Parerg. I*, 18. Virgilium *Aen. I*, 719. ubi pro *insidat* Servius Danielis testatur quosdam legisse *insidiat*, idque vel in MSS. quibusdam et editis extare edicit Burmannus. Cr. Apud Columellam crabrones ante alvearia prodeuntibus apibus *obsidiantur*, quod est, ab anteriore parte insidiantur. Hinc mira foret locutio, *obsidiari insidiis*, quasi insidiando insidiari. Hoc igitur verum esse nequit. Scripsit Cicero, una littera minus, quam est in

natus est L. Albucius et C. Megaboccus ex Sardinia, nonnullis etiam laudantibus Sardis. Ita fidem maiorem varietas

Codice: *coniuratio vi intercludatur, obsidatur insidiis.* Sallust. Catil. c. 45. *Homines militares occulte pontem obsidunt.* Cod. Theodos. IX, 14, 2. *quicunque itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit.* In quo notandum *obsederit,* dictum eodem significatu, et ab altero nihil differens, nisi aetate. Nam meliorum aetatum erat *obsiderit.* Conf. de aliis compositis horum verb. eorumque permutatione Goerenz. ad Fin. III, 2. extr. Heinr.

L. Albucius) De L. Albucio, qui Sardiniam rexit, vide Divinat. in Verr. XIX. ubi dicitur fuisse defensus a C. Iulio in causa, qua tamen cecidit, ut patet ex eodem Cicerone in Pison. XXXVIII. „Albucius cum in Sardinia triumphasset, Romae damnatus est." Vide etiam de Prov. Consul. VII. ubi indicatur Albucii crimen. Mai. Vitium haeret in praenomine. Fuit *T. Albucius,* qui ex Praetura provinciam Sardiniam sortitus obtinuit a U. 649. V. Pighium Annal. T. III. p. 147. Heinr.

C. Megaboccus) Hoc nomen occurrit apud Cic. II. ad Attic. 7. „Megabocchus et haec sanguinaria iuventus inimicissima est." Megabacchum (una littera diversa) memorant Plutarchus in Crasso, et Appianus de bell. Parth. ut virum animi celsitudine et vi corporis insignem, qui in ea infesta pugna cum Parthis ad Carrhas se ipsum confodit anno proximo post hanc Orationem a Cicerone dictam. Mai. Plutarchus in Crasso c. 25. Appianus, qui falso dicitur, in Hist.. Parth. p. 46. et 50. T. III. Schweighaeus. In hoc nomine facile est corrigere Ernestium in Ind. histor. Ceterum non magis intelligo *Megabacchi* nominis rationem, quam *Megabocchi;* neque de ipso homine, praeter fortunam in clade Parthica, quidquam commemoratum scio. *Megabocchus,* non *Megabacchus,* fuit nominatus, et quidem cognomine, ut opinor: quod nescio qualem originem habuerit ex Mauritania, quamque necessitudinem fortasse cum regibus Mauritanis. Ignorantiam suam candide profitetur ad Plutarchum Xylander; callide nuper dissimulabat Coraius silentio. Rem ex Orientalium litteris puto repeti oportere. Heinr.

laudantibus Sardis) Mos fuit ut reus, praeter patronos, laudatores etiam adhiberet. Hi fuere interdum, si res ita ferret, homines provinciales, quos singulae civitates, ab eo administratae, cum publica laudatione ad sublevandum rei periculum mittebant. V. Sigonium de Iudiciis Lib. II. cap. XIX. et ex gr. laudationes Flacci in Orat. pro eo cap. XL. Mai.

13. ipsa faciebat. Testibus enim aequis, tabulis incorruptis tenebantur. Nunc est una vox, una mens non expressa dolore sed simulata, neque huius iniuriis, sed promissis aliorum et praemiis excitata. At creditum est aliquando Sardis, et fortasse credetur aliquando: si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicuius inpulsu, si soluti, si liberi. Quae si erunt, tamen sibi credi gaudeant et mirentur. Cum vero omnia absint, tamen se non respicient, non gentis suae famam perhorrescent?

Testibus e. aequis) H. e. non cupidis, non iratis, non coniuratis, non ab religione remotis, ut ait *pro Fonteio c.* 6. Cave enim capias pro aequalibus numero: tum enim absolvendi fuissent. Cr. Orator pro Fonteio c. 10. extr. testes opponit *iniquos aequis*. *Aequi* dicuntur, qui aequali in utramque partem voluntate sunt, neque in accusatorem, neque in reum, propensi. Sic *aequus iudex*, *aequus auditor*, *aequus lector*: qui, quando iudicat in causa utrimque dicta, non debet esse, qualem vulgo dicunt *aequum lectorem*, tanquam propensum, immo vero, qui Latine dicitur *aequus*, id est, non propensus. Talis iudex, vel testis, itidem Graecis est ἴσος, vel ἴσος καὶ κοινός, ut vulgo loquitur Demosthenes. Heinr.

§. 13. *At creditum est*) Paullo aliter haec, quam est, distinguenda sunt. *At creditum est aliquando Sardis*, obiectio est; sequitur responsio: *Et fortasse cred. al.* Cr.

Quae si erunt, tamen) Non est locus hic particulae *tamen*, eam ut ut acceperis. Legendum est *tum:* quae quidem particulae propter compendii similitudinem sunt confusae saepissime. V. Ernest. ad Cluentianam §. 22. et Goerenz. ad Fin. II. §. 49. Atque novum eius permutationis exemplum accessit nuperrime in loco de Nat. D. I. §. 106. *tum eum motum* etc. ubi in Cod. Glogaviensi *tamen* legi pro *tum*, testatur meritissimus editor, Lud. Frid. Heindorfius. Heinr.

§. 14. *Phoeni*) Sic Codex. Mai.

rebellionibus) Cod. *rebelliinsibus*. Mai.

a Poenis — Sardi) De hac Sardorum origine testatur etiam Pausanias Phoc. XVII. Tum aliam Afrorum excensionem in Sardiniam memorant ibidem Pausanias et Strabo Lib. V. [p. 225. A. Cas.] Et quidem Strabo diserte scribit: ὕστερον δὲ Φοίνικες κατεκράτησαν οἱ ἐκ Καρχηδόνος,

Fallacissimum genus esse Phoenicum omnia monumenta 14.
vetustatis atque omnes historiae nobis prodiderunt. Ab his orti Phoeni, multis Carthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus, nihil se degenerasse docuerunt. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi, non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni. Quare cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi igno- 15.
scet Gn. Domitius Singaius vir ornatissimus hospes et fami-

postea Phoenices Carthaginis incolae eam obtinuerunt. Mai.

amandati) Cod. *amendati.* Mai. Hoc nolim in vitio deputari. Credibile est, *amendare* pronuntiatum fuisse a quibusdam, ut *commendare*, ut *compectum*, quod infra legitur §. 17. Quam multa eiusmodi, quae rationi loquendi scribendique per varias aetates illustrandae esse possint, latent passim in MSS. etiam collatis! Heinr.

in hac gente plena) H. c. nondum commixta cum Afris. Sic *Ulpianus Fragm. XX*, 12. *Impubes nondum plenum iudicium animi habet*, habet enim adhuc ex infantili aetate imbecillitatem admixtam. In his, quae sequuntur, magis placeret *putemus.* Cr. Valde haereo in hac *gente plena.* Dicit gentem Phoenicum, iam tum haud integram, cum nondum toties esset transfusa. Translatio est a vino, quod transfunditur in altera dolia. Quid igitur erit vinum *plenum?* et quid gens *plena?* Corrigo: *in hac gente pura.* *Purum vinum* dicit poeta in Metam. VII, 594. et Serr. Rei rust. *puritatem vini.* Quod primum Graeci coeperunt transferre ad gentes, quibus τὸ καθαρὸν tribuunt, si sunt ἀμιγεῖς βαρβάρων, ut Hellenes. Unde etiam illud καθαρὸν τὸ μῖσος τῆς ἀλλοτρίας φύσεως, ap. Platonem Menex. p. Steph. 245. et τῶν Ἀθηναίων τὸ καθαρόν, ap. Thucydid. V, 8. ubi v. scholium. Heinr.

coacuisse) Proprie vinum, quod acorem contraxit admixtione vel transfusione, *acuisse* vel coacuisse dicitur. Ulpian. *L.* 1. *Dig. de Leg.* 3. *responsum est, etiam quod coacuerit vinum, legato cedere.* Eleganter id ad gentem, quae vitia extrinsecus susceperit, transfert Orator, ut ad aetatem transtulit *de Senect. c.* 18. Cr.

§. 15. *Gn. Domitius Singaius*) Etiam in Fragmento I. edito huius Orationis nominatur Gn. Domitius. Sed hic Singaius videtur Sardus.

liaris meus; ignoscent Deletones ab eodem Gn. Pompeio civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur; ignoscent alii viri boni ex Sardinia: credo enim esse quosdam. Neque ego cum de vitiis gentis loquor, neminem excipio. Sed tamen est de universo genere dicendum, in quo fortasse aliqui suis moribus et humanitate stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt. Magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et coniunctione nominis nostri res ipsa declarat. Quae est enim, praeter Sardiniam, provincia quae nullam habeat

Mai. Certe Sardus est hic Singaius, rogatu Cn. Domitii a Pompeio civitate donatus. Vide quae supra dixi de *Valerio teste* ad §. 6. Heinr.

Deletones) Sic videor legere in Codice, litteras tamen dubias punctis notavi. Vereor me recte non legere, quia hic populus in Sardinia non mihi occurrit apud Geographos veteres. Porro ait Cicero Orat. pro Cornelio Balbo XIV. „Lex Gellia et Cornelia definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat." Mai. Liberiore coniectura usus, ***Caralitani*** lego, idque auctoritate Plinii *Hist. Nat. III, 7.* qui, non minus octodecim in Sardinia commemorans oppida, Caralitanos unos civium Romanorum fuisse tradit. Id vero prorsus huc facere, nemo non videt. Erat *Caralis* Melae *II, 7.* antiquissima urbium Sardiniae, hodie *Cagliari.* Cr. Ego vero ex geographia cum Cl. Maio huic loco lucem non exspecto. Neque enim Sardiniae populum, vel oppidum, Romanae civitatis, sed singulos quosdam e Sardinia provinciales, quibus donata civitas fuerat, Oratorem commemorare voluisse, ostendunt prope singula verba, quae postea addit, maximeque isti ***alii viri boni***, et hoc, *Neque ego — neminem excipio*, denique illud, *in quo fortasse aliqui — gentis vitia vicerunt.* Quid? quod mox dicit aperto, Sardiniam habere ***nullam*** amicam Populo Rom. ac liberam civitatem. Caralitanos quidem ***civium Romanorum*** in Sardiniae descriptione memorat Plinius: quibus, si ***nulla*** dum isto anno fuit libera in Sardinia civitas, necesse est civitatem posthac fuisse datam. ***Deletones*** illi, si nomen sic recte habet, erunt igitur Sardi duo, vel tres, eiusdem familiae. Ceterum hic quippiam intercidisse, ac deesse etiam nomen unum vel alterum, docet quod sequitur, ***ab eodem Gn. Pompeio,*** ac deinde, ***quorum omnium.*** Heinr.

amicam P. R. ac liberam civitatem? Africa ipsa parens illa 16. Sardiniae, quae plurima et acerbissima cum maioribus nostris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a societate Punicorum bellorum, Utica teste, defendit. Hispania ulterior Scipionum . . . *b*ono quanti quod habebat veniret.

Agedum ego defendi Sc*au*rum . . . Triari: de*fend*e tu ma- 17. trem . . . *int*erpretari non solvendo fuisse bona. Denique reus bo*na* . . proscri*pta* esse bonis . . . .

ab eodem) Offendo; neque enim ante nominatus est. Cr.

laudationi) De laudatoribus in iudiciis vide supra. [notam ad §. 12.] Mai.

Sed tamen) Cod. ***amen***. Mai.

res ipsa decl.) Cod. ***re ipsa***. Mai.

§. 16. ***in ipsa provincia***) H. e. ea parte, quae nunc provincia Populi Rom. erat. Zengitanam intelligit, in qua Utica metropolis. Cr.

Utica teste) Tertio bello Punico incipiente, Utica, maxima post Carthaginem urbs Africae, ad Romanos a Poenis descivit. Vide Appianum, Polybium legat. 142. Livii epitomen Lib. XLIX. De Scipionum autem nece et Gaditanae urbis in Romanos fide testatur etiam Cicero Orat. pro Cornelio Balbo XV. Mai.

§. 17. ***matrem***) Quam dicit deinde ***libidinosam atque improbam matrem***, et ***matrem Bostaris***. Bostaris Norae in Sardinia fuerat interfectus, opera Scauri, si credebatur accusatori, a matre, si defensori. Quae quidem defensio ex hac Oratione apud veteres multum celebrabatur, et ponebatur a Rhetoribus in exemplis ἀντικατηγορίας, i. e. mutuae accusationis, quam vulgo barbare dicunt recriminationem. Bis eam commemorat Quintilianus. Primum V, 13, 28. „Praeterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro circa Bostarem facit." Et clarius VII, 2, 10. „ut Cicero — pro Scauro circa mortem Bostaris, in matrem avertens crimen, facit." quo de loco nunc mitto quaerere post Spaldingium: longum est enim. Etiam Severianus in Rhetoribus Pithoei p. 337. edit. Capper. „Responsurus autem adversario, primum id quod ille posuerit, verbis infirmioribus pronuntiato: quae vero incredibilia visa fuerint, aut imbecilla, ita universa ponantur, sicut ab adversario dicta sunt; ut est il-

Te dixi libidinosam atque inprobam matrem, infami ac noto adulterio iamdiu diligebat is, cum hanc suam uxorem anum et locupletem et molestam timeret: neque eam habere in matrimonio propter foeditatem, neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compecto cum matre Bostaris consilium cepit ut uterque Romam veniret. Ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret confirmavit.
18. Hic opinio fuit, ut dixi, duplex: una non abhorrens a statu

lud, *Bostarem igitur quendam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum;* et infra addit etiam augendi criminis causa, *prius illum sepultum, quam huic coenam sublatam.*" Ex quo apparet, caedem illam fuisse factam, cum Praetor, provinciam peragrans, Norae esset. Iam Cicero defensione contendit, ut probaret, Bostarem a matre esse occisum, illigata ea, vivo marito, sene flaccido, adulterio cum quodam Arine, teste Triarii atque hospite, ut dicitur §. seq., cui cum nubere vellet post mortem mariti, eam timentem privignum adulta aetate, hoc necato, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse: quemadmodum creditum est Catilinam fecisse in Aurelia Orestilla; ut est ap. Sallustium. Nam id sane cuncta ostendunt, *matrem* hic dici, tanquam Medeam Norensem, invidiae causa, eam, quae erat noverca: in quam caedem filii, id est, privigni, avertit Orator. Porro Arini fuit curae, quo adulteram duceret uxorem, liberare se anu sua foeda, sed locuplete; eamque sustulit per libertum. Sunt igitur duae factae caedes in duabus familiis: id quod iam nunc notemus propter illud, *Hem quibus familiis* etc. quod sequetur §. 20. Heinr.

Te dixi) Distinctio maior ponenda post *dixi*. Quae sequuntur per se iustum sensum fundunt. Loquitur autem de Arine, matrem Bostaris deamante. Cr.

diligebat is) Hoc sanum non potest esse. Scribendum fortasse: *diligebat Aris;* cuius nominis syllaba prima ab ea, quae proxime praecedit, erat absorpta. Heinr.

compecto) Nota Ciceronianum adverbium *compecto* a verbo compeciscor, quod verbum occurrit apud Plautum Pseud. I, 5, 129. Ibidem tamen 126. Plautus habet *de compacto.* Mai. Sed et idem Plautus *Captiv. III,* 1, 27. simpliciter *compacto* dixit, et Livius *V,* 11. rursum *ex compacto* Sueton *Iul. c.* 20. et Impp.

naturaque rerum, Arinis uxorem paelicatus dolore concitatam, cum audisset Arinem cum illa sua metus et fugae simulatione Romam se contulisse, ut cum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis iungerentur, arsisse dolore muliebri, et mori quam id perpeti maluisse. Altera non minus verisimilis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum testem atque hospitem, Triari, tuum proficiscentem Romam negotium dedisse liberto, ut illi aniculae non

in *L.* 3. *Cod. de execut. rei iud.* ubi magnus Cuiacius κακουργίαν interpretatur; docte: neque enim fere nisi in malam partem dicitur. Alia suppeditat Casaubonus ad d. l. Suetonii. Cr. Vid. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. V, 11, 7. et Oudendorp. ad Suet. Aug. c. 15. Heinr.

uterque R. veniret) Nescio, qui malim *venirent.* Cr.

§. 18. *ut dixi*) Nimirum Cicero in superiore lacuna egerat de morte uxoris Arinis, quod colligitur etiam ex Martiano Capella Lib. V. de Quaest. Rhet. [p. 411. Rhet. Capperonner.] ubi ait: „An aliud in Scauriana succurrit, cum interposita disputatione tractatur, ex quibus causis mors eveniat repentina?" Mai.

paelicatus) Priscianus Lib. 6. [p. 689. Gr. Putschii] qui huius loci refert quinque verba, scribit *pellicatus.* Mai. Orthographia conflata, ut videtur, e graeca et latina vocis forma. Graecis enim est πάλλαξ et inde παλλακή. Cf. Interpretes ad *L.* 144. *Dig. de V. S.* et Menagium *Amoen. c.* 39. Cr. De ratione huius scripturae, quod mihimet videtur, dixi supra ad §. 4. Heinr.

cum illa sua — simulatione) Retuli in annotatione ad §. 1. editum e Prisciano huius Orat. fragmentum, quod huc maxime pertinet: *Cum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus.* Quocum conferendum, quod posui ad §. 17. ex Severiano. Nempe ista sunt ducta ex propositione adversarii. Nunc reddit defensor longe aliam causam illius metus atque fugae. Elegantiam praepositionis *cum* in hoc genere elocutionis refert ad quandam indignationem Muretus ad Catull. p. 864. Opp. itemque Ruhnkenius in Praefat. Schelleriana p. VII. Difficile est, dissentire cum his viris, quos non aliud quam aemulari posse velim. Sed tamen ubicunque consi-

ille quidem vim adferret, neque enim erat rectum patronae, „sed collum digitulis duobus oblideret," resticula cingeret, ut
19. illa perisse suspendio putaretur. Quae quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod cum agerent parentalia Norenses omnes, qui suo more ex oppido exissent, tumu-

dero vim eius praepositionis sic positae, ibi invenio contemtus significationem, non indignationem. HEINR.

neque en. erat rectum patr.) H. e. lege licitum, legitimum, ut centies in Pandecte. Iocatur autem Orator vel in re tragica. CR. Pro Mur. c. 2. „Negat fuisse *rectum* Cato, me et Consulem et legis ambitus latorem causam L. Murenae attingere." i. e. non conveniens, non aptum personae, indecorum esse dicit. HEINR.

sed collum — oblideret) Extant haec etiam quinque verba inter Fragmenta edita huius Orationis. MAI. Adde post *obliderei* copulam *et*, per geminationem. CR.

§. 19. *Norenses*) Nora fuit olim Sardiniae urbs, de qua cuncti Geographi veteres. MAI. Particula haec a verbis inde *Quae quidem* iam edita fuit a Sigonio, nec tamen indicato fonte. CR.

qui suo more — suspend. se dicta) Non cohaerere haec, apparet. Si dicam quod sentio, emendare placet hoc modo: *qui suo more ex oppido exissent tumulatum, est a liberto se suspendisse dicta.* CR.

Discessus autem solitudo — non fuit) Neminem haec intellecturum confido. Quae enim haec sententia est: latibulum et discessus solitudinem non esse quaerendam ei, qui sponte mori velit? Imo, si quid video, hoc voluit Cicero, libertum, qui patronae iugulum fregerit, fuga saluti suae consulendi rationem habere, sin illa volens sibi mortem conscirit, non habere. Eum sensum habebis, si mecum legeris: *illi, quum,* vel, *quando volebat mori, non fuit.* In antecedentibus quoque *suffocarat* magis placeret. Quo autem melius omnia cohaereant, suadeo, periodum hanc postponere illi, quae incipit *Confirmata est — profectus est*; quo facto omnia leniter fluent. CR.

Quae quidem suspicio — Romam profectus est) Haec, quae in Codice valde corrupta sunt, liceat mihi uno iudicio comprehendere, ut, quam sententiam laturus sum, ea a peritis tanto facilius aestimetur. Et primum v. *omnes* non bene additur ad *Norenses*, quod nec illuc refertur in Fragmentis editis, ubi hic locus usque ad v. *Norenses* extat, nescio unde acceptus. Deinde, etsi digna inge-

lata est a liberto, suspendisse se dicta. Discessus autem solitudo ei qui patronam suffocabat fuit quaerenda, illi quae volebat mori non fuit. Confirmata vero suspicio est, quod anu mortua libertus statim, tamquam opere confecto, Romam profectus est. Aris autem, simul ac libertus de morte uxo-

nio felici est coniectura, qua legatur: *qui suo more ex oppido exissent tumulatum,* tamen est in ipsa rei ratione, quod assentire valde cupienti obstet. *Tumulare,* (verbum adhuc ex solis poetis notum, cui nunc Cicero auctor accedit,) est tumulo condere, sepelire, funerare; idque facit libertus, et privatim. At *parentalia,* τὰ νεκύσια, sacra sunt, cum ad sepulcra res divina fit publice; quae est celebritas, quam populus agit. Iam quis credat, cum agerent parentalia Norenses, eos omnes exisse ex oppido, ut anum tumularent? Tumulavit libertus eo tempore, cum parentalia civitas ageret. Scripsit Cicero: *quod, cum agerent parentalia Norenses, omnesque suo more ex oppido exissent, tumulata est a liberto,* etc. Sequitur, *Discessus autem solitudo* etc. Quid? Homo, postquam patronam suffocarat, cum Nora, oppido provinciae, aufugiens quaereret solitudinem, contulit se in urbem Romam, scilicet! Id si permirum est, tamen ne sensum quidem habet *solitudo discessus* in hoc loco. His igitur aliquam duntaxat sententiam reddamus correctione non dubia: *Discessus autem sollicitudo ei, qui patronam suffocarat, fuit gerenda, illa quum volebat mori, non fuit.* In quo *sollicitudinem gerere* posteriorum temporum est locutio pro *curam gerere.* At qualis haec sententia, certe non ficta illa a me, sed refecta, quam plane ignava! quae Latinitas, quam Tullio indigna! qui denique numeri! Ita non dubito, quin hoc totum sit ex annotatiuncula aliena, quae, primum in margine scripta ab homine acutulo, qui Oratoris argumentationem sic sibi videbatur planiorem reddere, mox errore in ipsam Orationem fuit immissa: qua quidem rursus eiecta, ut par est, hic erit integerrimus et emendatissimus locus Ciceronis: „Quae quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod, cum agerent parentalia Norenses, omnesque suo more ex oppido exissent, tumulata est a liberto, suspendisse se dicta. Confirmata vero suspicio est, quod, anu mortua, libertus statim, tamquam opere confecto, Romam profectus est. Aris autem," etc. Dicit, *suo more,* eo, quod, parentaliorum causa, moris erat Norae, ut incolae omnes oppido exirent; id quod nec Romae fiebat in parentalibus, neque

ris nuntiavit, continuo Romae matrem illam Bostaris duxit uxorem.

20. Em quibus familiis quam foedis quam contaminatis quam turpibus datis hanc familiam, Iudices! Em quibus testibus commoti, de quo homine, de quo genere, de quo nomine

etiam in ullis Graecarum civitatum χοαῖς, vel ἐναγισμοῖς. Heinr.

§. 20. *Em*) Ita sine aspiratione. Mai.

datis) In hoc verbo aqua mihi haeret, et latet, ni fallor, ulcus, quod nondum sano. Cr. Verbum hoc possit defendi fortasse, sed argutius, quam verius. Quod scripserat Orator, truncatum est una fugaci syllaba in principio. Legendum: *quibus familiis quam foedis — dedatis hanc familiam.* Ventum est ad epilogum. Familiis illis duabus, matri isti et Arini, unde summum imminebat reo discrimen, opponit nobilissimam familiam Scauri, ipsum gestu notans, dum ait *hanc familiam* (v. not. ad § 12.); eoque movere vult indignationem iudicibus, si tanti nominis reus tam foedis inimicis quasi in deditionem concedatur, eorumque odiis ac mendaciis succumbat. Sic saepe reus dicitur *dedi* testibus, praesertim barbaris, tanquam hostibus in potestatem et arbitrium. Et vere emendasse me isto modo, mihimet plane persuadent duo loci, huic gemini, ex Oratt. eiusdem causae, ubi Orator ad iudices itidem. Pro Fonteio c. 14. „Videte igitur, utrum sit aequius, hominem honestissimum *dedi* inimicissimis nationibus, an reddi amicis." Pro Flacco 11. „Si quem infimo loco natum — defenderem, tamen civem a civibus deprecarer, ne ignotis testibus, ne hominibus barbaris civem ac supplicem vestrum *dederetis*." Similiterque, sed aliunde verbis translatis, rei dicuntur testibus *tradi*, *condonari*, ut in huius Orat. Fragm. Graev. p. 1015. (Ern. 1058.) dicit Cicero adversus Triarium: „Haec cum tu effingere non potuisses, contendes tamen et postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni sordidissimae genti, ac, prope dicam, pellitis testibus *condonetur*." Vide pro Font. c. 15. extr. pro Flacco 22. § 52. extr. Neque est dissimilis usus verbi *praebere* apud Liv. IX, 17. „Cyrum — quid nisi longa vita — vertenti *praebuit* fortunae?" Heinr.

de quo nomine) Enimvero exclamare licet, de quo nomine Cicero heic queratur, quidve aliud *nomen* hic esse possit, quam ipsum illud sceleris genus, de quo sententia fe-

sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines; videtis immanis duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus haec tota aput ignaros aut invidos famata causa est, omni facinore et flagitio deformatos

renda sit. Equidem aut nihil video, aut irrepsisse debent haec tria vocabula incuria librarii propter illa antecedentia, *de quo homine* Cr. Tria sunt, ut mihi quidem videtur, coniuncta oratorie, *homo* (persona), *genus, nomen* (nobilitas). Sic de eadem familia Scaurorum paullo post §. 23. *generi nominique;* sic pro Mur. c. 5. „laus familiae, memoria *generis,* honos et gloria *nominis*", et Epist. ad Fam. XV, 10. „Marcellorum *genus ac nomen.*" Adde, quod supra legebamus apud Asconium in Argum. p. 7. „Scaurus summam fiduciam *in paterni nominis dignitate* — reponebat." Heinr.

matr. in liberos) In superiore lacuna periit facinus impiae matris in filium Bostarem, neque inter edita Fragmenta satis certum vestigium huius rei apparet. Aliquod lumen affert locus Severiani *de Proposit. Adversarii* [p. 337. Capper.], ubi ex hac Oratione exemplum petens sic ait: „Quae incredibilia visa fuerint aut imbecillia, ita universa ponantur, sicut ab adversario dicta sunt, ut est illud: *Bostarem igitur quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum.*" Tum addit: „Cicero etiam augendi criminis causa: *prius illum sepultum, quam huic coenam sublatam.*" Videtur igitur mater dedisse operam, ut filius occideretur, ne forte ille sibi nuptias cum Arine impediret. Et quidem Bostarem fuisse occisum, patet omnino ex Martiano Capella Lib. V. cap. de Genere Demonstrativo [p. 418], qui locus nobis est opportunissimus, quia etiam argumentum totius Scaurianae explicare videtur. Ait igitur Capella: „Multiplex vero ex pluribus quaestionibus causa consistit, ut repetundarum omnes Verrinae: et pro Scauro, de Bostaris nece, de Arinis uxore, et decimis tribus exquiritur." Haec igitur nefaria mater Bostaris scelere exaequanda est illi famosae matri Cluentii. Mai. Verba Martiani Capellae supra p. 4. emendavit collega doctissimus; in quibus praeterea scribendum ac distinguendum mihi videtur *ut repetundarum orationes* (pro *omnes,* ex compendio) *Verrinae: et pro Scauro* etc. Heinr.

famata causa est) Sic Codex, *famata.* Mai. Omnis haec formula:

21. habetis. Num igitur in his criminibus, Iudices, re sit etiam aliqua suspicio non perpurgata, aut non refutata, non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem. Quia ge-

quibus criminib. — causa est impervia mihi est, adeoque, non dico non latina, sed barbara, ut vix dubitem, quin ex inepto glossemate profecta sit. Videant interim inter philologos archiatri: neque enim nisi circulatoris personam nos sustinere posse, probe conscii sumus. Cr. Dicit Orator illa duo, quae novimus, et in quibus refutandis hactenus est versatus, crimina; quibus criminibus, ait, totam causam Scauri apud ignaros aut invidos tantum malae famae contraxisse. In quo nihil videtur aut obscurum esse, aut dubium, nisi verbum simplex *famare*, cuius vix vestigium apud Lexicographum ullum, nedum auctor, apparet, quodque vel in ipsa media barbaria raro auditur. Vide G. I. Vossium de Vitiis serm. p. 227. Opp. et Ducang. in Gloss. med. et inf. Lat. s. v. Num ergo hic quoque aufugit syllaba initii, ut legendum sit aut *infamata*, aut *diffamata?* Non puto. Nam si verum est, uti est sane, quod iam diu ante Ruhnkenium (vid. Wyttenb. in Vita p. 230.) affirmarunt H. Stephanus Praef. ad Thes. L. Gr. p. 16. extr. et C. Scioppius Suspect. Lect. V, 7. haud parvam, ignoratam adhuc, partem linguae Latinae e veteribus Glossariis, editis atque edendis, posse restitui: nescio, cur non aequam auctoritatem liceat tribui bonis ac vetustis Codicibus, e quibus veterum libri, aut librorum fragmenta, in lucem prodeunt. Quare non timide tueor Cod. lectionem, *famata causa est*, pro qua supplicant ipsa composita, ac persuadent, simplex quoque aliquando non tantum barbarorum fuisse. Heinr.

§. 21. *re sit etiam*) Vel coniungatur *resit.* Mai. Scribo *restat.* Cr. Scripsit Cicero, ut opinor, *residet:* quod verbum facile oritur, iunctis syllabis *re sit*, ac prima seq. particulae *etiam* geminata; ubi nemo miretur scriptum in Cod. *t* pro *d*. Nihil est enim harum affinium litterarum permutatione crebrius. Geminatio autem quam utilis ac necessaria sit in hoc Codice ad corrupta emendanda et restituenda, iam saepius ante vidimus, ac deinceps videbimus. Qua quidem in re vulgaris error esse solet, cum id genus scripturae in peccatis ponunt; ut fecit ipse Muretus Var. Lect. XIV, 3. et nuper etiam vir in critica tanta cum laude tam diu versatus, Fr. Iacobsius, in Commentariis Acad. Monach. 1809. p. 55. Illa vero ratio est scribendi, non vitiosa, sed compendiaria, tum in la-

nus huiusmodi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret iudex ipse per se. Neque vero, Iudices, quicquam aliud in ignoto teste facere debemus, nisi ut argumento, coniectura, suspicione rerum ipsarum vim naturamque quaeramus. Etenim testis non modo Afer aut Sar-

pidum inscriptionibus tum in Codd. recepta, ut litterae syllabaeve, aut etiam tota vocabula, quae bis legi oportet, semel scribantur: quod ubicunque, ut fit, negligitur, nec geminantur in transcribendo, quae geminari debebant, necesse est, corrumpi et mutilari sanissima. Quem locum artis emendandi insignem, per exemplar Pandectarum Florentinarum iurisconsultis notiorem, quam philologis, subsidiorum, quae doctrinae ipsorum litterae iuris habent, vulgo incuriosis, fonte ex illo praeclare tractavit, collegae indicio mihi cognitus, Guil. Bestius, ICtus Traiectinus, in Ratione emendandi leges, p. 20. ss. Heinr.

quod non totum p. ex teste) Rursum ego audax, qui finem et modum emendandi non habeam. Sed bene est, si aliis viam meliora monstrandi praeiero. Lego per transpositionem: *quod totum non penderet ex teste;* id enim magis respondet consilio Oratoris, qui omnem testibus fidem abrogaverit. Cr. Refert haud parvi, utro modo ponatur *non.* Si postponitur, vim nanciscitur v. *totum*, et sensus est: crimen totum quidem non pendere a teste, sed ex parte tamen. Atqui omnem testibus fidem abrogat. Ergo prius ponitur *non*, ut sensus sit: crimen minime, seu nulla ex parte, pendere a teste. Quod secus est nostra in lingua, quae inversum verborum ordinem tenet: ut, quod Latini dicunt hoc ordine, *totum non*, id ipsum sit, quod Orator dicere non vult, nicht allerdings; at *non totum* plane sit illud, quod vult, allerdings nicht. Advertit hoc quoque, quem supra dixi, A. G. Gehlium, in libro laudato, Praec. XXII. p. 64. At fugit alios saepe ratio, ut Gronovium ap. Liv. III, 41. in verbis Appii: *Non erit melius*, etc. quem sermonem pro turbato is habet: quemadmodum sunt, qui ad confusas constructiones talia amandent in Graeca lingua. Apud Cic. de Nat. D. I. §. 23. ubi librarii, praeter unum germanizantem, *omnino nihil* servarunt, vereor, ne cum hoc ordine nuper inversa Latinitas sit. Etiam Ernestium apparet, cum ea in re iudicem agit, non tam Latinae linguae, quam vernaculae, sequi rationes. Cf. dicenda ad Var. Lect. Or. pro Coel. in fi. Heinr.

Afer) Dixit Cicero superius de Africana origine Sardorum. Mai.

dus (sane si ita se isti malunt nominari) sed quivis etiam elegantior ac religiosior inpelli, deterreri, fingi, flecti potest: dominus est ipse voluntatis suae, in quo est inpunita simulandi
22. licentia. Argumentum vero quo quid est proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest) rerum

sane si ita — nomin.) Forsan ***sane sic.*** Cr. Distinguendum ego censeo: ***sane, si ita se isti malunt nominari.*** In quo ***sane*** εἰρωνικῶς dictum est, ut saepissime. Heinr.

dominus est ipse — licentia) Haereo. Valere quidem video hoc argumentum generaliter ad infringendam testimoniorum fidem, sed quae sequuntur quomodo illi cohaereant, non video et ducem requiro. Cr. Explicabit Orator ipse se, eandem plane dicens sententiam pro Coel. 9. extr. „Equidem vos abducam a testibus, neque huius iudicii veritatem in voluntate testium collocari sinam, quae facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus; signis omni luce clarioribus crimina refellemus; res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit." Testimoniis, quibus credi non queat, opponit argumenta ex re ducta, seu rei propria, quae interna vulgo vocamus. Sed verbum, quod pro dubio subtus punctum dedit Maius, id vero mihi est plus quam dubium. Malim omnino scriptum: ***in quo est impunita mentiendi licentia;*** ut supra erat de Sardis §. 11. ad saepe de testibus malis dici solet. Graeci item ψευδομαρτυρεῖν. Heinr.

quo quid est proprium rei) Mendosa haec esse non inficior. Lego: ***quo quidem est propius rei,*** vel, ***quod quidem est proprium rei.*** Sed illud praestat. Sensus: illud argumentum tum demum vere dici potest argumentum, quod proxime ad rei demonstrandae naturam accedit, et tale eleganter profecto rerum vox dicitur, naturae vestigium, veritatis nota. Cr. ***Proximum argumentum*** dicit Quintilianus Declam. XIII, 10. et Appuleius Apolog. p. 278, 25. idemque alibi ***proximum signum*** et ***proximam humanitatem:*** quibus in locis ***proxima*** dicuntur ex proximo petita, promta, idque tam aperte, ut Spaldingium valde mirer errantem ea in re ad Quint. VI, 2, 20. V. Forcellin. h. v. in fi. Deinde iurisconsultus in Digest. XXII, 5, 21. §. 3. „confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis et testimoniis, quae et ***rei aptiora et vero proximiora*** esse compererit." In quo erit proximum argumentum ad confirmandum motum animi iudicis

vox est, naturae vestigium, veritatis nota. Id qualecumque est, maneat inmutabile necesse est. Non enim fingitur ab Oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem: vincerer causa, vincerer veritate. Agmen tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere co-

eruditissimi, qui in urnam modo coniecit tabellam. Mihi vero videtur amplius cognoscendum esse. Neque enim Oratori, meo iudicio, satis erat, argumentum esse *prope rem*, (ut etiam *propius rem* usitatius est Latinis, quam *propius rei*. Vid. Muret. V. L. XIX, 17. Gronov. ad Liv. XXI, 1. et XXII, 40.) quod ipsum etiam cadere in testimonium potest: immo vero omnis haec eo pertinet disputatio, ut non debeat causa iudicari ex testimoniis, sed sola ad argumenta interna. Haec autem omnino sunt argumenta *rei propria*. Quare non dubito, quin haec una sit verissima legendi ratio: *Argumentum vero, quod quidem est proprium rei.* Tale argumentum huic ipsi correctioni praebet Quintilianus V, 8, 6. his verbis: „Argumenta vero reperiuntur aut in quaestionibus, quae etiam separatae a complexu rerum personarumque spectari per se possint, aut in ipsa causa, cum invenitur aliquid in ea, non ex communi ratione ductum, sed *eius iudicii, de quo cognoscitur, proprium*." Quo in loco profecto emendari oportet: *quae etiam separata — spectari possunt*, et posterius quidem e MSS., illud prius autem ratione perspicua, quae fugit editorem egregium. Quid? quod ipse Cicero Partitt. or. c. 14. „De toto genere testium, quam id sit infirmum, saepe dicendum est, et *argumenta rerum esse propria*, testimonia voluntatum." Quae quidem cum scriberet, putares eum respexisse cum alias Orationes suas, tum imprimis hanc pro Scauro, et hunc ipsum locum. Patet, id genus esse probationis, quod artificiale dici solet; quas *τῶν πίστεων τὰς ἐντέχνους* vocant inde ab Aristotele Graeci rhetores, adeo locupletes illi in hoc quoque plane forensi genere, ut, si quis collectas inde opes exponeret, credo, non paucis, ut in re nova, faceret mirationem. Interim propior erit, ne alios dicam Latinos, non indignus is, qui conferatur in hac re, Isidorus Origg. p. Vulcan. 443, 26. Ceterum quod in fine est, *veritatis nota*, planissime confirmat rationem Goerenzii in loco Academ. I. §. 32. HEINR.

23. nere. Non potero equidem disputare, sed ad horum fidem et mansuetudinem con*fugiam* . . . . qui hanc familiam principem . . . . Deorum immortalium numen implorare potero, qui semper extiterunt huic generi nominique fautores. Poposcit imperavit eripuit coegit. Si docet tabulis, quoniam habet seriem quandam et ordinem contracti negoti confectio ipsa tabularum, *con*tendam acriter, et quid in offendendo mihi . . . . quemadmodum mihi cum quoque confligendum sit
24. considerabo. Sin unus color, una vox, una natio sit omnium testium, si quod ii dicunt non modo nullis argumentis, sed ne litterarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur; quo me vertam, Iudices? aut quid agam? Cum singulis disputem? quid? . . . .

Cetera desiderantur.

§. 23. *Non potero equidem*) Videtur Cicero ad perorationem deflectere. Mai.

qui hanc famil. principem) M. Scaurus pater princeps Senatus fuit, teste Asconio in Argumento, et Cic. pro Sextio XVII. „ad Principem et Senatus et civitatis M. Scaurum." Scauri infinitam magnificentiam in Aedilitate describit Plinius Lib. XXXVI, 24. Mai.

Poposcit — coegit) Videtur iterum agere Cicero de re frumentaria, de qua in divisione Orationis proposuit se dicturum. Sed universa haec pars Orationis intercidit. Mai.

contendam acriter) Sequitur, *et — considerabo.* Ac sane multis locis apud Ciceronem verba socientur ab eadem praepositione incipientia, ut supra §. 1. extr. *concurram atque confligam.* Vide Heindorfium ad II. de Nat. D. §. 81. Verum id neque omnium est locorum, et fit aliter. Docet hic ipsa sententia, parum feliciter esse suppletam, quae periit, syllabam. Lego: *attendam acriter.* Quis dubitabit? Heinr.

SCHOLIA INEDITA

AD

ORATIONEM PRO SCAURO.

Ad §. 2. *Tota est acies — prosternenda*) Scholium minutis rudioribus litteris: „Hoc dicit: cum sint inpudentissimi testes, non debere singulis respondere sed universis simul."

§. 3. *Dicam en. primum*) In margine: „Propositio."

§. 5. *omen nominis vestri*) Scholium minutis rudioribus litteris: „Aput [1] antiquos omn. . . *mos fuit*, ut etiam ex nominibus sumerentur auspicia. Unde aput eos Consul factus si coepisset colligere milites et novum sibi exercitum scribere, laborabat, ut haec duo nomina [2] prima induceret: et si non fuissent his

1 *Aput*) *Aput* pro *apud* constanter fere lego in hoc et aliis antiquis Codd. Mai. - Vid. Forcellin. h. v. in fi. Heinr.

2 *haec duo nomina*) Atqui nulla praecesserunt. Quare, nisi mancum sit scholium, forsan tum hic, tum paullo post *laeta nomina* substituerim. De re ipsa quaedam dixit Lipsius *de Milit. Rom. Lib. I. Dial.* 3. *in f.* Cr. Pronomen *hic* demonstrat quod sequitur: sequuntur autem haec quidem, quibus res eget, nomina, nec tamen, ut debent, continuo, sed inferius inculcata alieno loco. Adhibendum igitur erit lenissimum illud transpositionis remedium, quo legatur: *laborabat, ut haec duo nomina prima induceret, Valerius, Statorius.* Festus v. *Lacus:* „Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur eruendus, ominis boni gratia, ut in dilectu censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Sta-

nominibus homines, fingebantur. Necesse enim erat ut haec nomina prima essent in exercitu propter omen. Valerius, Statorius. Ex Valeri autem nomine hoc omen trahebatur, ut valeret exercitus, ex Statori, ut staret. Dicit Cicero: forte tu ideo primum testem induxisti illum propter omen, ut valeret accusator. [3] Et quoniam [4] hoc nomen faustum semper a maioribus putatum, ad salutem magis debere valere, non ad perniciem."

§. 8. *Qui sive patricius*) Scholium minutis, sed quadratis, litteris: „*Centum Senatores creavit Romulus:* postea Tarquinius Priscus addidit alios centum *eosque* conscripsit [5], eoque [6] vocabulo conscriptis patribus dicti sunt conscripti. Post placuit populo addi familias plebeias ad senatum, et facti sunt senatores plebei. Tria ergo sunt genera quae venerunt ad senatum. Primum patrum genus, secundum conscriptorum genus, tertium plebeium. Sed conscriptorum et patriciorum unum est meritum. Non licebat patricium petere tribuniciam potestatem, sed si plebeius esset, petebat [7]. Patricius senator fuerat Clodius *qui pe-*

torius." Recte scriptum, *dilectu.* Vide Festum in *Dilectus militum,* et ibi annotata. Quid vero est hoc de lacu dictum, *locatur eruendus?* Tacet in eo Ios. Scaliger; loquitur Lipsius l. c. et vult corrigi, *fruendus.* Sermo est de lacu, qui locatur ad piscandum; piscatorum autem est lacum verrere, everrere reti, quod rete hinc dicitur verriculum, everriculum. Vide omnino Brissonium de Verb. signif. v. *Everriculum.* Itaque certissima ratione scribamus apud Festum: *locatur e v e r r e n d u s.* HEINR.

3 *valeret accusator*) Oratio videtur postulare, aut *valeres,* aut *accusatio.* CR.

4 *Et quoniam*) Lego *At.* CR. Dissentio. HEINR.

5 *Tarq. Priscus — conscripsit*) Contra fidem hoc aliorum scriptorum. Sane si Livium audimus, Priscus rex, quos in Senatum adlegit, *de plebeiis* sumsit, *conscriptorum* autem nomen Bruti tempore demum invaluit. CR.

6 *eoque*) Cod. *eone.* MAI. Fortasse legendum *eoque vocabulo conscripti patres sunt dicti conscripti.* Sed nugas tales nec tutum est, nec vero tanti, emendare. HEINR.

7 *petebat*) An *poterat?* CR.

8 *tertius ille Claudius*) Asconius ad Or. contra Pison. ed Leid [Hotom.] p. 162, ait, se iam saepe significasse

pulit in exilium Ciceronem. Isti Claudi tres erant senatores fratres; unus qui modo consul est, alius qui Asiam tenebat praetor, tertius ille Claudius qui se de patricio plebeium fecerat [8]. Pontifices non fiebant nisi de patriciis [9]. Certi pontifices in saliatu mensam, et in ceteris quibusdam sacerdotiis quae solebant administrare patricii, ubi administrassent haec sacerdotia, fiebant consules. Lex erat autem favens colonis, ut unus fieret de patriciis, alius de plebeis. Lex etiam erat ut liceret duos plebeios esse, non liceret duos patricios. Ergo necesse fuerat ut unus fieret plebeius, unus patricius. Priores quidem consules fiebant plebei: sed patricius administrabat infinita sacerdotia, *seroque* perveniebat ad consulatum. Contra plebeius cito veniebat. Sed melioris loci est patricius consul, quam plebeius. Scaurus antea patricius fuerat. Claudius qui frater est Claudi consulis aeque patricius fuit. Ambo patricius e familiis migraverant ad plebem, qui patricii fuerant. Claudius nondum statuerat conpeteret ne patricius an plebeius? *Sed tute neutro in* gradu pe-

P. Clodii Appium Claudium fuisse fratrem. Tum duas familias Claudias, alteram patriciam alteram plebeiam, nominat idem Asconius in Fragm. Commentarii ad Orat. pro Scauro p. 175. MAI. Locum Asconianum posui in annotatione ad Ciceronis verba. De duabus familiis Claudiis conf. Marclandum ad Declamat. Pseudociceronis de Harusp. resp. c. 6. HEINR.

9 *Pontifices — de patriciis*) Nimirum ante L. Ogulniam, quae vel pontificatum cum plebe communicasse dicitur. Quae sequuntur, oppido multa habent, aut valde obscura, veluti illa de mensa in saliatu, quae memoriam dapum epularumque Saliarium, non dico, quam bene, excitare possunt; aut vehementer nova atque inaudita vixque vera, qualia Lex, e qua non licuerit duos patricios Coss. esse, deinde illud, priores Coss. creari plebeios, serius patricios, quodque hi nihilominus meliore loco fuerint, quam illi, itemque, quod Scaurus migraverit ad plebem; aut denique alia plane absurda, quo pertinet, quod, cum dixisset, licuisse ambo Coss. plebeios creare, idem tamen dicat, necesse fuisse, ut unus de plebe, alter de patribus fieret. CR. Hunc quidem Aethiopem non erit melius lavisse. Sed ineptam duntaxat *mensam* tollamus. Corrigendum: *Certi pontifices in saliatu manebant.* HEINR.

tere consulatum poterat . . . Ideo *igitur dicit Cicero* accusationem intendere M. Scauro, quod ei non poterat competere aut quasi patricius, aut quasi plebeius" [10].

§. 15. *Gn. Domitius Singaius*) Nota est in margine: „Civis Romanus, quem Romanum fecerat" forte Pompeius.

amicam P. R. ac liberam civitatem) Scholium rudioribus minutis litteris: „Aliae civitates sunt stipendiariae, aliae liberae. Stipendiariae quae bello subiunguntur [11]; liberae quae ad amicitiam sponte veniunt. Dicit Cicero: in omnibus provinciis, quae contra nos bella gerunt, invenimus aliquas civitates liberas, quae ad amicitiam nostram sponte venerunt. Sola Sardinia est, in qua nulla civitas nobis amica sit" [12].

§. 16. *Scipionem*) Scholium minutis rudioribus litteris: „Scipiones cum gererent in Hispania bellum, occisi ambo sunt. Deficientibus tunc omnibus Hispaniae civitatibus ab amicitia populi Romani, Gaditana sola civitas in fide mansit, defectumque ac sine imperatoribus Romanum suscepit ac fovit exercitum."

§. 21. *Neque vero, Iudices*) Scholium minutis rudioribus litteris: „Cecidit [13] locus communis duplex, unus argumentis esse credendum, alter testibus non credendum. Quis non te. . . . argumenti . . ."

10 *aut quasi plebeius*) Moneo, me hoc scholium non potuisse integrum describere; adeo scriptura est partim obliterata, partim rescriptionis superinductione obruta. Mai.

11 *subiunguntur*) Legendum: *subiugantur.* Cr. Non puto. Heinr.

12 Sic Cicero pro Cornelio Balbo IX. „Nam et stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis multos civitate donatos videmus." Mai.

13 *Cecidit*) Morbum video, sed medicinam frustra quaero. Cr. Corrigo: *Sequitur;* quod cum scriptum esset *cecitur,* fecit inde incuria *cecidit.* *S* et *c* litterae sunt affines, ideoque et loquendo et scribendo permutari solent; *c* autem pro *qu* frequens est scriptura in lapidibus et Codd., velut *sicis* pro *siquis*, *Cintus* pro *Quintus.* Vide Scaligeranos Indices ad Gruter. p. 85. col. 1. Sic ipse hic Codex in Fragm. pro Tullio §. 3. *aecum* habet pro *aequum,* ubi v. annotata. Heinr.

M. TULLI CICERONIS

ORATIONIS PRO TULLIO

FRAGMENTUM INEDITUM.

MONITUM

EDITORIS MEDIOLANENSIS.

*Orationis pro M. Tullio pauci versus huc usque supererant, ex Prisciano, Quintiliano, Victorino et Martiano Capella eruti. Habes iam e Codice nostro partem Exordii et integram ferme Narrationem. Sed quis est iste M. Tullius, pro quo haec Oratio dicta fuit? M. Tullium Deculam suspicatur Sigonius *. Certe hic consulatum anno U. C. DCLXXII. gessit, Cicerone iam ad eloquentiae laudem virescente: nam eo anno Quinctium ab eo defensum narrat Gellius lib. XV. cap. 28. Iam argumentum Orationis pro Tullio liquet ex ipso fragmento quod apud Capellam lib. 5. cap. de Partitione ** legitur, nempe:* Damnum passum esse M. Tullium convenit mihi cum adversario; hominibus armatis rem esse gestam, non inficiantur; a familia P. Fabii commissam, negare non audent. Iam dolo malo factum, ambigitur.

* Placet, huc transcribere verba Sigonii, ut vel inde appareat, quantum novae lucis iam nobis afferat recens hoc munus Mediolanense. Sic igitur ille in Fragm. Cic. p. 111. „Hanc ego pro M. Tullio De-

cula, qui consulatum, Cicerone adolescente, ad eloquentiae laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit, dictam suspicor. defendit autem eum inter sicarios, quantum ex orationis fragmentis intelligere possum. quorum auctores sunt Quinctilianus, Aquila rhetor, et Priscianus. Artificium huius defensionis his verbis expressit Fortunatianus in Rhetorica": etc. Sic, inter sicarios, legitur in Veneta editione, quam sequor; apud Graevium, De vi. Quem autem Sigonius mutilum posuit locum Fortunatiani, Consulti, enm, haud sane illepidum, dabo integrum; uti extat Rhet. Capper. p. 77. „Voluntas legis quot modis consideratur? tribus: uno, cum legis scripto apparet, eam semper non posse servari, ut, *qui parentes non aluerit, vinciatur.* Neque enim infans aut debilis alere possunt. Altero, cum ex verbis legis intelligi potest, aliud voluisse latorem eius, ut, *qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, vinciatur*: cum massa ferri inventus est vir, vult magistratus eum alligare caedis. Apparet enim, latorem legis de telo, non de massa, cavere voluisse. Tertio, cum exemplo multarum legum probamus, praesentem quoque legem ita sentire, ut nos defendimus, sicut M. Tullius fecit pro *M. Tullio* et pro *A. Caecina*". De M. Tullio Decula Cos. vid. Pighius ad ann. 672. (673.) T. III. p. 259. Hunc quod Sigonius putabat esse eundem, cuius Cicero causam dixit, id G. I. Vossius probat de Analog. II, 3. nec minus, ut videtur, Ruhnkenius ad Rufinian. p. 201. in medio relinquit Spalding. ad Quintil. IV, 2, 131. Ego non credam, Ciceronem adolescentem ita de cliente, viro Consulari, dicturum fuisse, ut nunc legimus initio huius Fragmenti. Qui P. Sextium in causa ea, cuius Orationem habemus, a. U. 697. postulavit de vi, is *quidam* M. Tullius dicitur a Cic. ad Q. fr. II, 3. et erat cognomine Albinovanus. V. in Vatin. c. 1. Oratoris libertos M. Tullios, Tironem et Lauream (vid. Manut. in Epist. ad Fam. V, 20.), huc non temere quisquam vocarit. Heinr.

** Capper. p. 434. ubi vitium est, unum de sexcentis apud Rhetores illos mendosissimos, *M. Rutius* pro M. Tullio. Et gravior haeret depra-

vatio in verbis ***a familia P. Fabii commissam***, quae A. Patricius in Cic. Fragm. emendavit egregie, ***Fabii*** (immo ***Fabi***, quo causa plus pateat, cur sequens vocab. intercciderit, si scriptum erat ***Favi***) ***vim commissam***. Sed est inter fragmenta huius Orationis isti loco simillimus alter, ex Mario Victorino p. 155. „Dico, vim factam a P. Fabii familia: adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio, concedis: vici rem unam. Vim hominibus armatis factam non negas: vici alteram. Dolo malo factum negas: de hoc iudicium est". Hic rursus sagax Patricius suspicatur hoc et illud fragmentum unum idemque esse. Verissime. Apud Capellam interpolatus est locus, quem recitavit memoriter: apud Victorinum idem legitur genuinus et integer. HEINR.

ORATIONIS PRO TULLIO

FRAGMENTUM INEDITUM.

1. .... ore, putavit ad officium suum pertinere adversario nulla in re parcere, quia me oportet Tullium pro Tullio facere homine coniuncto mecum non minus animo quam nomine. Ac mihi magis illud laborandum videtur, Recuperato-

PRO TULLIO) Sic inscribunt quotquot e veteribus hanc Orationem laudant, indeque collegit Sigonius, fuisse pro defensione Tullii dictam, cum is de vi fuisset accusatus. Quorum neutrum verum esse iam nunc e nostro constat fragmento. Ex eo enim satis liquet, et actorem fuisse Tullium, et fuisse iudicium privatum, non capitis. Ne autem in illo *pro* haereamus, facit eiusdem Ciceronis *pro* Quinctio Oratio et illa *pro* Caecina, et est fortasse, ut haec loquendi ratio tum demum fuerit usurpata, cum, ampliata causa, in secunda actione, in primis hae essent actoris partes, ut, quae post primam contra et in eum dixisset reus, prolixius disceptaret. Esse autem hanc secundam post ampliatum reum, vel diffissa causa, actionem e §. 4. luculenter patet. Cn. Patet inde simul, adversarii in hoc iudicio fuisse *defensionem*. Is igitur dixit *pro Fabio*; et nunc Cicero, respondens defensioni in secunda actione, item dicit *pro Tullio*. Latior est hic usus eius locutionis in causis privatis, ut in Graeco foro patroni interdum dicunt ὑπὲρ, in causa. Dicit etiam Cic. in hoc ipso principio, facere se *pro Tullio*. Heinr.

§. 1. *Recuperatores*) Iudicum recuperatorum officium declarat Gel-

res, ne quod antea nihil in istum *dixisse* probare possum, in
eo repraehendar, quod hoc tempore respondeo. Verum et
tum id feci quod oportuit, et nunc faciam quod necesse est.
Nam cum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum 2.
datum M. Tullio diceremus, alienum a mea natura videba-
tur, quidquam de existimatione P. Fabi dicere; non quia res
postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat

lius Lib. XX. cap. 1. „Iniuriis aestimandis recuperatores se daturos dixerunt." Item Festus voc. *Reciperatio:* „Per reciperatores reddantur res recipianturque, resque privatas inter se persequantur." Apud recuperatores acta est a Cicerone etiam causa pro A. Caecina, de qua et de hac pro Tullio Auctor Dialogi de Oratoribus cap. XX. dicit: „De exceptione et formula illa immensa volumina, quae pro M. Tullio aut A. Caecina legimus." Ex quo dicto cognoscimus, etiam hanc Orationem pro Tullio fuisse longissimam. Mai. De iudicio recuperatorio, praeter alios non ignotos commentatores, cf. Ernestium ad Sueton. Domit. c. 8. Ceterum quod in Dialogo illo aureolo *immensa* volumina dicuntur, quae sunt de exceptione et formula, inde, solito longiorem fuisse hanc Orationem, non magis cogitur, quam docetur alio eius libelli loco c. 39. pr. tunc paenulas, pro togis, fuisse vestimenta causidicorum in iudiciis: qua in re, ne interpretes dicam omnes, quos novi, fallitur etiam Gothofredus ad Cod. Theodos. T. V. p. 234. Heinr.

in istum) In P. Fabium, ut patet inferius Codex habet: „ut quod antea nihil in istum dixi probare possum quam in eo repraehendar" etc. Porro *repraehendo* cum diphthongo vidi et in aliis antiquis Codicibus. Mai. Pressius ad normam scripti Codicis exsculpere mihi videor: *ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim, quam in eo* cet. Cr. Ceterum de loquendi ratione, *in aliquem dicere*, cum fructu conferant, quibus interior Latinitas curae est, Scioppium Susp. Lect. III, 3. p. 124. Heinr.

§. 2. *Quid ergo est*) Abrupta haec videntur, sed veram in se artem habent. Qualia ni attendis, quid sit orator, non intelligas. Poterat sic decurrere oratio: „non, quia res postulare non videretur, sed quia, tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit" etc. Eum cursum sistit Orator subito, interrogans: *Quid ergo est?* et nunc denique rationem dicit.

causa, tamen nisi plane cogit, ingratiis ad maledicendum non
3. soleo descendere. Nunc cum coactus dicam, siquid forte dicam, tamen id ipsum verecunde: modique faciam tantum, ut

Hoc artificio suspendendae sententiae Cicero saepe utitur in ea pro Quintio, ubi eadem plane conformatione sunt loci, §. 5. et 6. §. 11. §. 93. et 94. Itidem poeta in Epistola ad Pison. 351. ss. ubi vid. Bentlei. ad v. 353. Est etiam in Quintiana locus, nostro alio nomine comparandus, c. 3. extr. *Verum his de rebus* etc. Quanquam locus is mutilus est, meo iudicio, et, quemadmodum hodie legitur, non Ciceronis. In quo eodem iudicio videtur fuisse Facciolatus, qui asteriscum apposuit: quem posteriores nollem delevissent. Sed omnino vix dici potest, quantum ingeniosi laboris in Orationibus Ciceronis fecerit reliquum subitaria plerumque critica huius ac priorum aetatum. HEINR.

non soleo descendere) Omnino eiiciendum illud *non*, quod sensum turbat. CR. Vix puto desideratum quidquam iri ad perfectam integritatem huius loci, si interpungitur: „tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere." Locutio est elegans optimaeque aetatis, *cogere*, vel *cogi ingratiis*, i. e. invitum, repugnantem: quo de verbo vulgatum olim errorem Ob. Gifanii ex eius Indice Lucretiano, alioquin bonae frugis pleno, correxerunt iam dudum Scioppius Verisimil. I, 20. et Vossius de Analog. I, 2. et 47. Scriptum saepe reperitur *ingratis*, duabus *i* in unam contractis; et sic fere variant libri. Onomasticum vetus, cum Glossariis editum a Vulcanio: *Ingratis*, *ἀκοντί*. Orator pro Quintio c. 14. *extorquendum est invito atque ingratiis*; quod Facciolatus bene explicat: velit nolit. Denique, ipsum hoc, *cogere ingratiis*, dicunt Terentius Heaut. III, 1, 37. et Nepos Themist. IV, 3. HEINR.

§. 3. *modique faciam tantum*) Vereor, ut latinum sit, *tantum modi facere*. Quid igitur? *modoque* legamus, ut interiecta voce sit pro *tantummodoque*. Infra sane in illa pro Flacco lacinia est: *tot tam gravesque*, et magis adeo ad rem apud Quintilianum Decl. 340: *hoc insigne non tantum libertatis modo, sed etiam dignitatis esset*. CR. Nihil intelligo eorum, quae hic edidit Cl. Maius. Nec vero obliviscamur, primum, multa esse sic scripta in hoc Codice, ut nonnisi geminatione litterarum, vel syllabarum, expediri possint; deinde, quidquid in his Fragmentis interpunctionis est, id ab editore esse profectum. In hac igitur area iam domum mihi videor ponere sa-

quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius iudicare: nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat. Nunc hoc abs te, L. Quinti, pervelim impetrare,

tis stabilem. Lego atque distinguo: „Nunc cum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum *verecunde modiceque* faciam, *tantum ut*, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius iudicare, nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat." Ex v. *modique*, quod constat pronuntiatum fuisse *modice*, *c* sonante ut *k*, geminata ultima syllaba fit *modiceque*, cum etiam *que* vix aliter sonaret, quam *ke*, et ferme sic pronuntiaretur, *modikeke*. Nota est frequens ex eadem causa confusio litterarum *qu* et *c*, de qua dixi ad Scholia in Or. pro Scauro p. 54. n. 13. Nihil est autem magis Tullianum, quam id, quod posui. Sic pro Sulla c. 29. *a me timide modiceque dicetur.* Item pro Coel. c. 13. „nunc *agam modice*, nec longius progrediar, quam me mea fides et causa ipsa coget." Deinde haec forma loquendi, *tantum ut — cognoscat*, ea vero et ipsa paene propria est Ciceronis. Pro Flacco c. 28. „Submissa voce agam, *tantum ut* iudices audiant." Pro Caecina c. 8. „Praetor interdixit, — sine ulla exceptione, *tantum ut*, unde deiecisset, restitueret." Brut. c. 9. de Phalereo: „Hic primus inflexit orationem, — et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perstringeret (ita leg. e Cod. Guelferbyt.), *tantum ut* memoriam concinnitatis suae — relinqueret in animis." ubi, quod falso olim legebatur, *et tantum ut*, vere correxit criticus excellens, Iamus Guilielmius. Nam copulae in hoc modo loquendi omnino est ius nullum. Et legitur etiam in hac structura *tantummodo*, ut pro Sulla c. 10. „Quae omnia suppressa voce dixit, *tantummodo ut* vos — possetis exaudire." quod separatim est scribendum, *tantum modo*, ut in loco non dissimili Tuscul. III. §. 55. correxit vir summus, F. A. Wolfius. Nimirum in hac constructione *tantum* est adiectivum, *τοσοῦτον*, et mente repetendum est verbum, quod praecessit, velut h. l. *tantum* facturus, *ut — cognoscat*, i. e. non plus facturus, quam ut — cognoscat. Heinr.

priore actione) Quae sit prior actio, quae secunda in iudiciis, dixi ad Orat. pro Scauro. [§. 6. pr.] Mai.

L. Quinti) Adversarius Ciceronis in hac causa et P. Fabii patronus fuit L. Quintius. De hoc Cicero in Bruto LXII. ait: „Complures, minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus: quo in genere nuper

quod tametsi eo volo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco quia aecum est postulo, ut ita tibi multum temporis ad
4. dicendum sumas, ut is aliquid ad iudicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuae modus, sed nox tibi finem dicendi fecit. Nunc, si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo. Neque hoc idcirco postulo, quo te aliquid

L. Quintius fuit." Reapse hic idem Quintius patronus fuit Oppianici in horribili illa causa Cluentii. Et cum quidem in ea Oratione saepe exagitat Cicero, capite praesertim XL. ubi eum sic graphice describit: „Facite enim, ut non solum mores eius et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini. Mai. Fuit Tribunus pl. maxime popularis ac seditiosus, a. U. 680. Vid. Pighius ad ann. 679. T. III. p. 305. Hunc eundem videri, quem Cicero dicit familiarem suum ad Att. VII, 9. vana est Corradi suspicio, quam cum aliis aliorum non melioribus coniecturis nollem Ernestius repetisset in Indice Historico. Heinr.

aecum) Similiter in MSS. *inicum* legi, ab aliis animadversum memini, et apud Gruter. Inscr. MLXX, 8. *anticum* est. Cr.

ut is) Cod. *ut is* pro *iis* more solito, ut *Fabi* pro *Fabii*. Mai. Melius *his*. Recuperatores intelligit. Cr. Conf. quae dixi ad *hoc perfugium* in Fragm. Scaur. §. 12. Heinr.

§. 4. *sed nox*) Hinc liquet, nullum litigantibus a recuperatoribus praestitutum fuisse ad dicendum tempus, quod plerumque ad similitudinem iudiciorum publicorum etiam in privatis fieri consuevit. Vide Iac. Menardum ad Orat. pro Quinct. c. 9. Cr.

ne idem facias — postulo) Post secundam, tertiam quoque actionem fuisse, si iudices sibi nondum liquere et amplius cognoscendum esse pronuntiassent, id quidem vel ex Caecinana Oratione adhuc satis constabat. Verum hoc puto novum esse, quod docet hic locus, si is, unde petebatur, vellet trahere iudicium, ut tertium ageretur, effectum esse eo, quod dies eximeretur et iudices cogerentur differre iudicium. Quod quidem aliter non potuit fieri, quam si in secunda etiam actione is, unde petebatur, diceret secundo loco. Conf. prius dicta ad Fragm. Scaurianae §. 6. pr. Heinr.

idcirco, quo te al. censeam) Aliter scribit Cicero in eadem structura ad Famil. IX, 1. „etsi *non idcirco* eorum usum dimiseram, *quod* iis *succense-*

censeam praeterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere; verum ut semel unaque aliquid de re dicas: quod si facies, non vereor ne dicendo dies eximatur.

Iudicium vestrum est, Recuperatores, quantae pecuniae paret dolo malo familiae P. Fabi vi hominibus armatis coactis

rem, sed quod eorum me suppudebat." Attamen pro Quint. c. 2. pr. „*Non eo* dico, C. Aquilli, *quo* mihi *veniat* in dubium tua fides et constantia, aut *quo* non in his viris lectissimis (sic leg.) civitatis spem summam habere P. Quintius *debeat*." ubi rectissime mavult Ernestius: *Id non eo dico*, cum praecedat v. *poterit*, ex cuius ultima, si geminatur, oritur *id*. Verum hic quoque libri sunt, qui bis *quod* habent, pro *quo*. Num ergo hic etiam geminatione legamus: *idcirco, quod te al. censeam?* Putarem id quidem, nisi alia obstarent exempla sat bona, quibus probatur, in hac constructione non solum *quod*, sed etiam *quo*, fuisse in usu. Conf. Forcellin. h. v. HEINR.

§. 5. *Iudicium*) H. e. formula iudicandi a Praetore data, quae ipsa iam sequitur et maiusculis litteris exprimenda erat, quo facilius discernatur. CR.

armatis coactis vi) Paret, legendum esse tum hic, tum infra §. 9. *coactisve*, vel *coactisque*, uti mox §. 7. *coactis armatisque*. Certe et alibi sic variatur. In Or. pro Caecina c. 21. *armatisve*. c. 31. *armatis coactisve*. c. 32. *coactis armatisve*. Contra vero c. 9. *coactis armatisque*. Quodsi constantia Ciceroni in his formulis fuerit, *que* praeferendum existimo, idque ideo, quod ibid. c. 11. *coactis hominibus et armatis* legimus et c. 32. *sine armis ac multitudine*. CR. Restant ex eadem Orat. hi quatuor loci, non praetermittendi: c. 1. „in convocandis hominibus *et* armandis." 11. extr. „convocati homines *et* armati." 12. „coacti homines *et* armati." 22. „per homines coactos armatos*que*." Hic iam P. Manutius ad locum, ubi verba interdicti recitantur, c. 21. recte utrumque esse dicit, sive *armatisve* sive *armatisque* legas. Et ibidem Hotomannus, mire disceptans, „Nihil muto", inquit: „sed magis placeret *armatisque*, ut infra." Quem contra P. Faber mox *armatisve* defendit lege 53. Digest. de Verb. signif. sane commemorabili, ubi Paulus ait, saepe ita comparatum esse, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, et disiuncta pro coniunctis. A quibus vellem non omissa esset Cuia-

vi damnum factum esse M. Tullio. Eius rei taxationem nos fecimus: aestimatio vestra est: iudicium datum est in quadru-

cii auctoritas, qui *ve* tenuit illo in verbo interdicti ad Pauli Sent. rec. V, 6, 4. Idque tenent etiam veteres edd. omnes et MSS. nec iniuria. Nam si Praetor dixisset, *coactis armatisque*, paratum erat effugium ei, qui non simul et coactis et armatis, sed solis coactis armatisve vim faceret Quare dixit, fraudis praemuniendae causa, *coactis armatisve*, id est, aut coactis, aut armatis. Conf. de hoc discrimine Bentlei. ad Horat. III, 2, 16. At toties Cicero in Oratione, quos Praetor interdicto disiunxerat, eosdem coniungit. Quid mirum? Ita enim acta res fuerat ab Aebutio, qui, ut vim faceret, homines permultos, liberos atque servos, coegerat *et* armarat. Vid. §. 20. et pluribus loc. Loquitur ergo ubique in illa causa ad rem, quomodo gesta erat, accommodate, et adeo plane non potuit disiunctione uti ullo in loco, qui pertinet ad factum Aebutii, ut, sicubi contra quid esset, quod tamen nusquam invenio, id librariis imputari et corrigi oporteret. Ad hanc rationem facile est indicare, quid consentaneum sit huius Fragmenti locis Tum hic, tum infra §. 9., utpote in formula iudicii, legendum est ad Codicis litteras, *coactis ve:* nec vero *armatisque* mutandum §. 7. ubi Orator loquitur apte ad rem, uti in vi illa fiebat plerumque, nempe per homines coactos *et* armatos. Conf. pro Caecina §. 63. Heinr.

taxationem) *Rei taxationem fecimus*, nempe quantum damni Tullius sit passus, supputavimus. Mai. In iuris libris contra est, ubi *aestimationem* de utraque, *taxationem* non fere, nisi de iudice dictam reperies. Et hos quidem secutus videtur Festus: *Taxat verbum ponitur . . . . in litibus quoque arbitrove cum proscribitur, quoad ei ius sit statuendi. Taxatio dicitur, quae fit certae summae.* ubi prona est emendatio: *arbitro cum praescribitur.* nam Dacerii sensu destituitur. Cf. Cuiac. *Obs. II*, 13. Cr.

iudicium — in quadruplum) Scilicet, ut reus, si damnetur, solvat quadruplum damni illati. De *iudicio in quadruplum* vide etiam Lib. III. in Verr. XXIX. Mai. Memini, cum nuper Lipsiam, almam studiorum nostrorum matrem, repeterem, veteremque amicum, Haboldum, at quantum ICtum! convenirem, statimque de novo hoc celeberrimi Maii invento sermo inter nos caederetur, promisisse illum, totum hunc locum, quoad iuris doctrinam contingit, se brevi illustraturum; ad quam spem decet lectores ablegare. Veruntamen, ne sic ver-

plum. Cum omnes leges omniaque iudicia quae paulo graviora atque asperiora videntur esse, ex improborum iniquitate

suti artem, quam et ipsi profitemur, occultasse videamur, dum meliora exspectamus, magis in gratiam auditorum, quam doctorum causa, quid nobis sedeat, paucis expediamus. Quaeritur, quo remedio usus sit Tullius contra Fabium, cuius familia ipsi damnum factum erat, obtruncatis servitiis et destructo in centuria Populiana aedificio. Et potuisse quidem de vi accusationem instituere e Lege Plotia vel Lutatia, non est dubium, debuisse autem, negamus. Nam, ut ait Ulpianus L. I. §. 1. D. de incendio, ruina, naufragio, XLVII, 9. *quanquam de facinoribus sint etiam criminum executiones, attamen recte Praetor fecit, qui forenses quoque actiones criminibus praeposuit.* Igitur elegit Tullius forensem, h. e. civilem, ea fortasse ratione, quod hac instituta ipsi praeiudicium non fieret intendendae praeterea accusationis publicae, ceu perscriptum est e Prudentium auctoritate in *L. un. C. quando civ. act. crimin. praeiud.* IX, 31. Sed qualem e multis, quae ad manus erant, elegerit, disceptari potest, et proxime inter amicos disceptatum recordor, aliis existimantibus, expertum esse Tullium ex interdicto de vi armatis hominibus, aliis, nova quadam, praeter hunc Ciceronis locum inaudita, mox etiam oblitterata. Et cum illa sententia statim displiceret, quod, quae instituta est, de damno fuit, non de possessione, et in quadruplum, primum altera placere coepit, mox tamen displicere, quod, quo primum momento nata, eodem fere intermortua esse deberet, cum eius nullum prorsus in ICtorum scriptis apparere vestigium diceretur. Re igitur accuratius considerata, in ea opinione resedimus, non aliam hic proditam esse actionem, quam quae vulgo *vi bonorum raptorum* appellatur, quaeque antiquitus fortasse *vi coactis hominibus* dicta est. Id vero, collato titulo Digestor. *Vi bonorum raptorum et de turba*, XLVII, 8. neminem clam fore existimo. Eo enim propius inspecto apparet, in Edicto perpetuo Salvii Iuliani, non bina, quod vulgo creditur, sed trina fuisse singula edicta de damno, discreta non solum re, sed, credo, etiam auctoribus, aetate ac duratione, primum quidem de vi hominibus armatis coactisve, alterum bonorum vi raptorum, tertium de damno in turba facto. Atque ita iam video distinxisse haec summum Cuiacium in Paratitlis; quae cum a paucis legerentur, a paucioribus intelligerentur, factum est, ut in ceteris recentiorum auctorum libris fere non nisi duo commemorentur. Secutus autem is est Ulpianum qui *L. 2 et 4. D. d. t.* haec tria edicta latius persequitur, docens, priora duo, quae et alio-

et iniuria nata sunt; tum hoc iudicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam
6. constitutum est. Nam cum multae familiae dicerentur in agris longinquis et pascuis armatae esse, caedesque facere; cumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed etiam ad summam remp. pertinere videretur; M. Lucullus qui summa

loco, *L.* 195. §. 3. *D. de Verb. Sign.* separat idem ICtus, intra annum utilem in quadruplum, ultimum in duplum competiisse, omnia vero tergemina post annum, in simplum. Formulam si quaeris primi edicti, ea, comparatione facta Ulpiani et Impp. in *L.* 2. *Cod. eod.* IX, 33 haec propemodum fuit: *Si cui dolo malo vi hominibus armatis coactisque damni quid factum fuisse dicetur, in eum qui id fecisse dicetur intra annum quo experiundi potestas fuerit in quadruplum, post annum in simplum iudicium dabo;* quae formula quam conveniat cum iudicio apud Ciceronem, plane in aprico est. Utrobique actio est Praetoria, cuius fundamentum damnum alteri datum, causa dolus malus, instrumentum familia armata coactave, finis quadruplicatio damni, ut ovum non sit ovo similius. Cur autem hoc edictum indeque nata actio postmodum adeo evanuerit, ut, si Ulpianum excipias, in iuris libris eius vix vestigium supersit, id non est difficile ad explicandum. Cum enim orta esset his temporibus, quibus per bella civilia nihil non licere crederetur, ubi ad unius imperium res redacta est, facilius singulorum licentiae frena iniecta fuerunt, ad quam rem non parum profuit ab Augusto inde miles perpetuus. Iam vero difficilis est rerum memoria, nunquam posthac, vel rarissime, occursantium. Retinuisse tamen et Seneca videri potest, qui *Controv. V*, 5. *lex*, ait, *fuit, ut qui sciens damnum dederit, reddat quadruplum. qui insciens simplum*, nec tamen iusto. Quidquid vero sit, noster his Tullii locus oppido est memorabilis. Ex enim eo nove discimus et auctorem edicti de vi coactis hominibus, et causam eius occasionemque proponendi, denique et tempus, quo introductum sit. Etenim ille M. Terentius Varro Lucullus, id ipsi plenum nomen, quum Cos. fuerit cum Cassio Vero A. U. C. 681 non ita multo ante Praetura functus fuerit necesse est, quam peregrinam fuisse solum Asconium auctorem habemus. Quodsi cui difficultatem moveat e peregrini Praetoris edicto ius inter cives disceptatum fuisse, is cogitet, cum multa ex

aequitate ac sapientia ius dixit, primus hoc iudicium composuit, et id spectavit ut omnes ita familias suas continerent, ut non modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti, iure se potius quam armis defenderent. Et cum sci- 7.
rent de damno legem esse Aquiliam, tamen hoc ita existimavit, aput maiores nostros cum et res et cupiditates minores

urbano in peregrinum aut provinciali transierint, nihil obstare, quin et e peregrino aliqua migraverint in urbanum, praecipue e delictorum materia, quae in primis ius gentium attingere videretur, adeoque Hadriani aetate utraque edicta in unum conflata fuisse. Et haec quidem nos quam brevissime potuimus. Tu, lector, acu enuclearim, an nodum gladio secuerim, iudica. Cr.

§. 6. *ad summam remp. pertinere*) I. e. ipsa respublica in discrimen adducta esse videretur; ut dicitur iudicium ad summam existimationem pertinere, quando fama agitur et existimatio: quod parum recte explicat Graevius ad Caecin. c. 2. Latina sunt *res summa* et *res summae*, ideoque *summa respublica;* quibus Graevius male immiscet *summum bellum* apud Caesarem, quod est difficillimum, ut *summa tempora.* Vid. Gronov. ad Liv. XXVI, 16. et XXXVIII, 50. Graeci, imprimisque Oratores, τὰ ὅλα πράγματα. Est etiam *summa rerum* et *summa reipublicae*, quod cum illo a librariis saepe confusum, tamen aliter et distincte videtur usurpasse consuetudo loquendi vera et propria. Quod moneo etiam propter Cuiacium Observat. XII, 32. Heinr.

M. Lucullus) M. Lucullus ius inter peregrinos Praetor dixit, teste Asconio ad Orat. Ciceronis in toga candida. Frater Lucii is fuit, ut narrat Plutarchus in Lucullo. Mai. Ascon. ad Or. laud. p. 979. Graev. Plutarch. in Lucullo c. 1. Est hic, M. Terentius M. F. Licinianus Varro Lucullus, frater, non germanus, sed consobrinus, si Eutropio fides, L. Luculli, Cos. cum C. Cassio a. U. 681. a quibus Coss. lex frumentaria Terentia Cassia. Vid. Manut. in Ep. ad Q. fr. II, 1. Pigh. ad an. 680. T. III. p. 306. et H. Verheyk. ad Eutrop. VI, 7. Heinr.

§. 7. *cum scirent*) Vix monitu opus, *sciret* legendum esse. Cr.

Aquiliam) Latam scilicet ab Aquilio Tribuno, cuius capita aliquot refert Caius ad Edictum provinciale. Vide Pitiscum voc. *Lex Aquilia.* Mai. Meliora Pitisco dederunt triumviri ad istam legem, Balduinus, Suaresius et Noodtius. Cr. „Lex Aquilia plebiscitum est; cum eam Aquilius Tribunus plebis a plebe rogave-

essent, et familiae non magnae magno metu continerentur, ut perraro fieret ut homo occideretur, idque nefarium et singulare facinus putaretur; nihil opus fuisse iudicio de vi coactis armatisque hominibus. Quod enim usu non veniebat, de eo siquis legem aut iudicium constitueret, non tam pro-
8. hibere videretur, quam admonere. His temporibus cum ex

rit." Sic ex Ulpiano Digesta tit. ad leg. Aquil. (IX, 2.) l. 1. §. 1. Add. Institut tit. de l. ead. (IV, 3.) §. 15. Et e Digestis etiam videre licet, particulas eius legis non solum ex Gaio esse servatas. Sed de Tribuno hoc eiusque temporibus, quidquid dictum est, incerta sunt omnia. Quod subsequitur, *tamen hoc ita exist.* ego non satis expedio, ni legendum sit *hic*, Lucullus. Heinr.

ut perraro f.) Lege: *et perraro.* De servis occisis autem cum sermo sit, quorum pretium in iudicium de vi coactis hominibus veniret, non de liberis, quorum vitae nulla erat aestimatio, habemus hic singulare testimonium, quam bona antiquissimis fuerit servorum conditio, quorum enecatio pro nefario et singulari facinore haberetur. Cr. Causam mutandi, quod Cod. habet, *ut perraro,* certior factus sum non constructionem esse, quae est rectissima, sed illud foede scilicet repetitum *ut.* Simus contenti, si aures Ciceronis hoc pertulerunt. Pro Rosc. Amer. c. 1. extr. *ut* dicerent, *ut utrumvis* — se facere posse arbitrarentur". Ep. ad Fam. X, 1. „*ut* optandum sit, *ut* possimus". XIII, 20. „a te peto, *ut* des operam, *ut* intelligat". Et sic ille locis innumeris. Conf. Heusinger. ad Off. I, 20, 2. Ceterum *hominem* pro liberto dictum repudiare prius debui in loco Fragm. pro Scauro §. 5. et nunc illum, qui *homo* hic dicitur, ne servum quidem possum agnoscere, vel concedere, vehementer displicens ipse mihi in hac toties dissentiendi atque alia omnia urgendi vel necessitate, vel pervicacia mea. Alienum hominem, quem iniuria quis occiderit, id est, servum servamve, alienum alienamve, ut lex loquebatur, ne hic loci quaeramus, ipsa sententia, ni fallor, plane absterret; et Oratorem, quod ait, tempore latae legis Aquiliae perraro factum esse, ut homo occideretur, de homicidio universe dicere, sane quam luculenter ostendit quod statim additur. Nam adeo clementem fuisse sortem servorum temporibus Aquilii, ut occisio servi *nefarium et singulare facinus* haberetur, quis credat? Tam plane repugnant tali clementiae, ut reliqua non dicam, praeter legem Petroniam, vel consti-

bello diuturno atque domestico res in eam consuetudinem venisset, ut homines minore religione armis uterentur; necesse putavit esse in universam familiam iudicium dare, quod a familia factum diceret iure: et Reciperatores dare, ut quam primum res iudicaretur et poenam graviorem constituere, ut

tutiones Imperatorum sec. secundi et ipsae Iustiniani Institutiones; ubi dignissima lectu est ad I, 8. §. 2. Ev. Ottonis huius rei erudita explanatio. Quid? quod vel Iuvenalis reclamat, seu potius mulier apud eum, VI, 219—23. Heinr.

quam admonere) Sic prorsus idem Cicero in Orat. pro Roscio Amerino XXV de Solone, qui nullum supplicium parricidio statuerat, ait: „Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur." Mai.

§. 8. *ex bello — domestico*) Mariana et Sullana tempora respicit. Cr.

in universam familiam) I. e. propter universam familiam, in dominum. Cur autem *universam* dixerit, optime declarat Ulpianus L. 2. §. 14. D. d. t. *haec actio etiam familiae nomine competit: non imposita necessitate ostendendi, qui sunt ex familia homines qui rapuerunt, vel etiam damnum dederunt.* Cr.

diceret iure) Placeret, si esset: *diceretur non iure.* Cr. Tunc tamen corrigendum simul videretur: *si quid a fam. factum* etc. ut in edictis magistratus vulgo loqui solent. Sed dubito, an, quod facilius est, idem sit verius, legere: *quod a fam. f. vindicaret iure*, id est, iure ulcisceretur, vel puniret. In Codice reliquae sunt duae verbi mutilati syllabae, *ceret*, in quibus vestigium agnosco antiquioris formae *vindiceret*, pro vindicaret, quam veteres edd. et MSS., dummodo variae scripturae recte accipiantur, praebent apud Lucretium III, 894. quaeque apud Gellium extat XXI, 1. in verbis his XII. tabularum: *aut quis endo em iure vindicit.* Vide, praeter Gellii interpretes, Gifan. Ind. in Lucret. et I. M. Heusinger. Observat. p. 383. Cuius quidem formae documenta etiam vocabula sunt, indidem facta, *vindex, vindicta* ex *vindicita*, item *vindicia*, formatum a *vindicere*, ut *delicia* a *delicere* (ducto a lix licis, quod fluidum significabat veteribus Latinis, unde lixae aquatores castrenses; item liceo (liqueo), et licet, quod proprie est, fluit, procedit, facile est.) Neque mirandum, formam antiquam poni a librario, quem ἀρχαΐζοντα nunc non primum videmus. Heinr.

metu comprimeretur audacia: et illam latebram tollere, damnum, iniuria *si absit, inferri posse: ut privati* ipsi statuerent, quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere,
9. homines occidere. Cum iudicium ita daretur, ut hoc solum in iudicium venire videretur, ne vi hominibus coactis armatis vi damnum dolo malo familiae datum, neque illud aderit INIURIA, putavit se audaciam improborum sustulisse, cum spem defensionis nullam relinquisset.

damnum, iniuria) Cod. „damnum iniuria quod in iis cum vis debet valere puta . . . ex huiusmodi damno quod vicem armatus . . ." Locus difficillimus lectu et obliteratus, qui sarciendus videbatur, ut fecimus. Mai. Doctissimi Maii coniecturam vix stare posse, vel inde apparet, quod multo plura vocabula sunt in Codice, quam in emendatione. Ego nihil extrico et Oedipum exspecto. Cr.

§. 9. ***daretur***) Scribendum, ***daret***, quoniam sequitur: ***neque illud adderet***. Corruptelae facile ansam dedit, quod vicinius est, ***videretur***. Heinr.

ne vi — damnum d. m. f. datum) Haec exitum non habet, aut potius nulla est constructio. Natum videtur illud ***ne*** ex duplici scripturae compendio, pro eoque legendum: ***num esset***. Heinr.

armatis vi) Iterum legendum ***armatisve***, et paulo ante ***an vi***. Cr.

aderit) Neminem fore credo, quin existimet, reponendum esse ***adderet***. Non addidit Lucullus in edictum verbum ***iniuriae***. Iniuriae enim vocabulum ianuam aperire videbatur calumniandi licentiae reo dicenti, iure suo damnum datum esse. Ea praecisa putabatur, si sufficeret actori probasse, se damnum passum esse armatis coactisque hominibus, quos cum habere privato homini non liceret, ista re probata, dolus ipse probatus videbatur. Cr.

INIURIA) Aquilius tulerat legem, nequis vi armata damnum inferret ***iniuria***: quam iniuriam siquis negare poterat, ea lege non damnabatur. M. Lucullus, eo sublato vocabulo, omnino edixit, nequis vi armata dolo malo damnum inferret, quae lex spem defensionis succidebat. Mai.

relinquisset) Etiam in aliis antiquis Codicibus vidi retentam ***n*** in praeteritis verbi ***relinquo***. Mai. De hac scriptura consule Brisson. Parerg. cap. 25. et Hagenbuch. in Epist.

Quoniam quod iudicium et quo consilio constitutum sit 10. cognostis; nunc rem ipsam ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite. Fundum habet in agro Thyrino M. Tullius paternum, Recuperatores, quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum eiusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet, quam iure obtinere. Nam 11. Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore (cui fundo erat adfinis M. Tullius sane magno) dimidio fere incultum,

Epigraph. p. 566. sqq. Adde quos laudat Smallenburg. ad L. 2. §. 33. D. de Or. Iur. Cr.

§. 10. *in agro Thyrino*) Antiqua urbs Lucaniae fuit Thurium, in cuius regione natum Caesarem Octavianum narrat Suetonius in eius Vita cap. 7. (Sed tamen Acro ad Horatii Lib. 2. Sat. 8. v. 20. dicit Thurium oppidum Calabriae.) De colonia latina in Thurinum agrum deducta vide Liv. XXXIV, 53. At noster Codex habet *Thyrinum* ex permutatione consueta inter se vocalium eiusdem aut proximi soni: nam *y* apud veteres sonabat interdum ut *u*. Citat hunc locum Quintilianus Inst. Lib. IV. cap. 2. sub finem [§. 131.]: cuius aliquae editiones habent *in agro Tigurino*, ut et Codex unus Ambrosianus Quintiliani. Verum longe rectius aliae editiones *in agro Thurino*, quod confirmant tres Codd. Ambr. eiusdem Quintiliani. Reapse quis praedium divitis viri Romani inter montes potius Helvetios, quam in Lucaniae beato agro requirat? Mai. Cf. Spaldingii Var. Lect. ad Quintil. l. c. Sed cur ager, in quo Tullius Fabiusque fundos habebant, non potuerit esse Tigurinus, verior, quam Lucani agri beatitudo, ratio haec est, quod viris Romanis ne in mentem quidem venire potuit, ut vellent praedia habere inter montes Helvetios, hisque adeo montibus nihil fuit commune cum iure Romano et Praetoriis edictis vel interdictis. Ceterum hinc incipit narratio, seu expositio rei gestae, quae est in iuris libris species actionis, vel litis, sed infeliciter ea obscurata per aliquot graves lacunas Codicis, quas quidem coniectura sat probabili explere difficile est. Ego in singulis locis, quid potero, faciam, gratias ipse habiturus ingentes, si mox alius Scaligerana fortasse divinandi vi et audacia plus effecerit. Heinr.

§. 11. *sane magno*) Haec non tam a vocabulo *fundo* pendent, quam ab *emit*; unde distinctionis signa mu-

exustis villis omnibus, pluris quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis praetiis ipse Claudius . . . . clam circumscripsisset etiam consulari Macedonia et Asia.

tanda veniunt. Cr. Commatis incidendum post *senatore* et *Tullius*. Nam parenthesi nullus hic locus. Tum *cui* pronomen referendum ad Senatorem, cui Tullius erat *fundo affinis*, vicinus. Heinr.

praetiis) *Praetium* semper fere vidi cum diphthongo in antiquis Codd. Mai. Contra A. Manutius Orthograph. p. 630. „*Pretium*", inquit, „sine diphthongo libri, et lapides". Heinr.

ipse Claudius) E Codice dimidium huius folii cultro desectum fuit, unde lacunae sex incommodissimae extiterunt. Mai. Post *Claudius* facile addas, quod certe hic fuit, *emerat*. Locus, qui deficit, dum salvus erat, sine dubio plura habebat de Fabio, deque eo, qui mox dicitur *Imperator;* et haec erant illa, quae de existimatione Fabii promiserat se dicturum, §. 2. Quod provinciarum nomina hic leguntur nulla cum vitii suspicione, et postea sermo est de pecunia male quaesita, denique imprimis, qui ridetur in seqq. *paterfamilias Asiaticus*, ea vero cuncta demonstrant, avidum fortunae venatorem fuisse hunc hominem, unum de multis temporum illorum, qui per provincias in comitatu magistratuum, sive ex domesticis convictoribus, sive quos comites et adiutores, velut praefectos, scribas, accensos, et alia, quae ille vocat, serperastra cohortis, dabat respublica, faciendo variis artibus quaestu corrigere sortem malignam et inopiam levare studebant: qui quidem, mortuo Imperatore, videlicet ipso provinciae praeside, tanquam ancora amissa, ex provincia repetiit lares, et pecuniam secum allatam, cum in praedio vellet ponere, perdidit. Heinr.

§. 12. *in praedio ponere*) Pecuniam *ponere* et *collocare* sunt verba iuris et pecuniaria, uti vocat Quintilianus, quae si simpliciter efferuntur, modo idem valent, quod deponere solius custodiae causa, modo aut mutuam dare, aut foeneri locare, ut ap. Horat. Epod. II. v. ult. et Quintilian. Decl. IX. c. 16. *ubi pecunia melius poni potest, quam ubi foenus bonitatis extenditur;* addita autem re, in qua constituitur, uti hic, in fundo, modo est impendere in rem, ut L. 2. §. ult. *D. Mand. collocare pecuniam in emtionem praediorum*, modo ita alicui dare, ut in eius securitatem res accipientis sit pignori obligata. Sic *Or. pro Caecina c. 4. Cum uteretur dote uxoris numerata, quo mulieri esset res cautior, curavit, ut in eo fundo dos collocaretur.* Non satis distincte haec

Etiam illud addam quod ad rem pertinet, Imperatore mortuo, 12.
pecuniam nescio quomodo quaesitam dum vult in praedio ponere, non posuit sed abiecit. Nihil adhuc . . *stultitiam suam*

Lexica exponunt. Confuse etiam, sed abundante doctrina, ut solet, Salmasius de Usuris c. 7. Cr. Praeiverunt in hoc vario utriusque verbi usu Latinis Graeci, apud quos, in foro praesertim Attico, patet non minus late vis verbi τιθέναι, quod verbum quas non admittit hac forma significationes, eas transfert ad alteram τίθεσθαι. Qua quidem in re, ex orationibus maxime causarum civilium haurienda, Lexica Graeca etiam minus, quam Latina, sufficiunt. Heinr.

abiecit) Eadem fere locutione contrarium dicit idem Cicero Philippic. III. cap. II. de Octaviano „patrimonium suum effudit. Quamquam non sum usus eo verbo, quo debui. Non enim effudit, sed in salute reip. collocavit." Mat. Homo pecuniam abiecit in praedio conditionis deterrimae, quippe quod pretio emerat insano. Hoc Orator ait ad rem pertinere; quandoquidem hinc hominis stomachus, et rursum ex stomacho facinus. Ceterum structura hic est, propria illa quidem linguae Latinae, *dum vult, abiecit*, ubi *dum*, positum pro interim dum, in re praeterita iungitur cum forma praesentis temporis: cuius structurae unum tantum exemplum in toto Cicerone attendit Ernestius, de Off. II. §. 29., et ne id quidem sciens, sed dubitans: unde illam eius dubitationem luit mox alius gravi lapsu in eo loco. Sed nescio, quomodo acciderit, ut huius particulae constructio, varia ea pro varia significatione, a veteribus inde grammaticis tot eruditos fefellerit. Vel exempla et iusta significationum discrimina quaerentem destituunt Lexicographi; neque Ciceronianus ille Nizolius habet ullum exemplum eius, quae huius est loci, structurae. Atque Ernestius, quoties in ceteris scriptoribus, quibus edendis bene meruit, eam constructionem animum advertit, aut plane errat, aut fluctuat. Sic ad Sueton. Domit. 4. ad Tacit. Ann. XIII, 15. et Hist. III, 38. Huc accedunt incredibiles paene fabulae Baueri, ab Ernestio grammatici, in Indice ad Tacit. v. *dum*. Et Ciceronem in hac structura prorsus praetermisit I. H. Vossius ad Virg. Georg. IV, 560. eundemque nonnisi cum uno illo, quod antea dixi, exemplo ponit Heindorfius ad Horat. Sat. I, 5, 72. Quin etiam Wolfius, dum Ernestium reprehendit in Suetonii loco, „Cicero quidem", inquit, „non ita construit; sed id faciunt poetae" etc. Idemque iam antea ad eiusdem scriptoris Aug. 76. monuerat de constructione, *dum redeo, comedi*, pro *redibam*, ut ait. Qualia si tantus vir docet, ta-

calamitate vicinorum corrigit, et quod stomachum suum damno Tulli explere conatus est. Est in eo agro centuria quae

cere religio est. Cicero igitur sic construit multis locis. Divinat. Verr. c. 17. „Ita, *dum* pauca mancipia — retinere *vult*, fortunas omnes — *perdidit.*" In Verr. II. c. 38. „itaque *dum exspectat*, quidnam sibi certi *afferatur*, — de foro non *discessit.*" In Pison. c. 22. „quos tum Maeandros, *dum* omnes solitudines *persequeris*, quae diverticula flexionesque *quaesisti?*" etc. Epist. ad Q. fr. I, 1, 1. „Quod ego, *dum* sociorum saluti *consulo*, *dum* impudentiae negotiatorum *resisto*, *dum* nostram gloriam tua virtute augeri *expeto*, *feci* non sapienter." Iam satis est. Sed affirmavit nuper Heindorfius, paullo audacior in uno ex Cicerone loco, particulam *dum* hac significatione sic construi ubique et sine exceptione. Apud Suetonium quidem Aug. 99. ubi Ernestius habet, *dum — interrogabat, defecit*, Oudendorpius dedit ex pluribus MS. *interrogat*. Et apud Tacitum Vit. Agric. 41. ubi libri omnes sic habent: „Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, *dum — exstimulabant*," hoc ipsum corrigendum est fortasse. Num vero illud etiam mutetur, quod Codicum consensus defendit apud Nepotem in Hannib. c. 2. „Quae divina *res dum conficiebatur*, *quaesivit* a me," etc. Monet deinde Heindorfius, tanquam antehac non observatum, particulae *dum* iungi necessario indicativum praesentis in obliqua etiam oratione, in eamque rem profert tres locos Taciti ex Annalibus. Sed hoc novum non erat post Ernestii animadversionem ad Tacit. Hist. III, 38. qui cautius simul addit, Tacito id esse sollenne, nec vult, necessarium esse. Nusquam vidi adhuc exemplum talis syntaxis apud Ciceronem, aut unum aequalium: apud quos sic positum ex coniectura, uti ausus est editor in Fr. Scaurianae § 4., mihi quidem, ut dixi, porro de soloecismo suspectum est. Nempe in obliqua oratione, ubi citeriores *dum* ponere solent cum indicativo, antiquiores *cum* ponunt et coniunctivum. Quanquam loci sunt multi, ubi vel in recta oratione haec altera constructio erat propria; qualis hic est, cuius causa haec cum maxime disputo, ubi si scriptum foret: „pecuniam, *cum vellet* in praedio ponere, non posuit, sed abiecit", id quem offenderet? Ac nonnihil quidem, si verum quaerimus, interest inter utramvis rationem; ut, si dicitur, *cum vellet*, ea ratio est rem simpliciter narrantis, si, *dum vult*, narrantis cum evidentia, et fingentis cogitatione eius conditionis imaginem: quod est τῆς ῥητορικῆς ἐναργείας, vel φαντασίας, ideoque magis, quam illud, oratorium. Heind.

et quod stomach.) F. *quid? quod*,

Populiana nominatur, Recuperatores, quae semper M. Tulli

vel *atque*. Sed non insto. Nam quae sequuntur tot lacunis sunt discissa, ut vel ingeniosissimo, si illas explere velit, verendum sit, ne pro veris commentitia quaevis proferat et multoties pro Iunone nubem amplectatur. Sane id maxime dolendum, cum haec particula in eiusmodi historia enarranda potissimum versetur, cuius scientia vel maxime conduceret ad plenius rectiusque intelligendum tum universae Orationis argumentum, tum in primis institutae actionis naturam. Cr. Suspicor, verba aliquot intercidisse post v *corrigit*: quae felicior fortasse, aut otiosior, supplebit. Nam sententia ex verbis, quae restant, satis elucet. Heinr.

Populiana) Haec scriptura nominis centuriae, de qua in hoc iudicio litigatum est, etsi eadem in hac narratione quatuor deinceps locis reperitur, tamen vitio non caret. Non enim aliunde ducta appellatio est, quam ab aliquo, cuius antea ea possessio fuerat: cuiusmodi appellationes solent servari, etiamsi res per plures personas iam ambulaverit, sed plerumque inhaerent a proximo inde domino. Sic domus est *Tamphilana* in Vita Attici apud Nepotem, et *Horatiana* in Vet. Schol. Iuvenal. I, 12. Plura exempla possessionum cum nominibus talibus exspectes apud iurisconsultos, atque invenias. Vide Brissonium in v. *fundus*, n. 3. exemplisque eius adde fundum *Trebatianum* et *Satrianum* e Digestis XXXII, 35. §. 20. Rem sic Fronto enarrat de Different. vocab. p. 2191. Putsch. „Pompei porticus, et Pompeia, et Pompeiana. Pompei, si possidet: Pompeia, si publicavit: Pompeiana, si in alterius dominationem venit." Ergo *Populiana* haec centuria a Populio. Atqui *Populii* nulli fuerunt; quod nomen plane est inauditum: sed fuerunt *Popilii*, vel *Popillii*. Quare scribendum omnino his quatuor locis *Popiliana*, vel *Popilliana*. Ex quo istud natum est eodem modo, quomodo *Thyrmus* ex *Thurmus*. Nam *u*, *y*, *i*. affines sunt litterae, et, quod *optumus*, *maxumus* fuit, mox factum est *optimus*, *maximus*. Nempe pronuntiabatur *u* vocalis fere ut *ü*, sono medio inter *u* et *i*, primum crassiore, deinde tenuiore, ut in *i* penitus abiret. Cui igitur mirum, eas litteras tam saepe confundi? Heinr.

quae semper) Cod. *qui*. Mat. Haec elementa, *ae* vel *oe*, et *i* vel *y*, media aetate permutari esse solita, docet frequentia exemplorum Gronovius Obs. IV, 15. Add. Salmas in Capitolin. p. 171. C. Factum id quoque pronuntiatione, cum in tenuem vocalem degeneraret paullatim sonus diphthongorum, ut nunc apud Anglos. Heinr.

fuit, quam etiam pater posse*derat* . . . posita esse et ad fun-
13. dum eius convenire. Ac primum quod eum negoti totius et
emptionis suae poenitebat, fundum proscripsit. Eum autem

posita esse — convenire) Nihil certi in his lacunis. Putem tamen, defectum hunc sic posse expleri: „*quamque emerat, cum in vicinia* posita *esset*, et ad fundum eius conveniret." Conf. locum pro Caecina §. 15. Heina.

§. 13. *emptionis — emptum*) Haec vetusta est ac bona scribendi ratio, nobilis ea dissensionibus grammaticorum et criticorum, et comulendata nuper apud nos celeberrimi viri iudicio: quam, ex monumentis maxime, satis comprobarunt Itali quidam doctissimi. Vide ante omnes Ios. Castalionem Observat. in criticos Decad. I. c. 1. deinde Scip. Maffeium in Museo Veron. p. 94. et Iuvenatium ad Livii Fragmentum p. 55. Hanc autem scripturae rationem optima aetate usurpatam solam fuisse, et solam hodie imitandam esse, si quis affirmet, id ego interim nequaquam concedam. Heinr.

fundum proscripsit) Fundum proscribere est venalem proponere. Mai.

cum socio Gn. Acerronio) Lapis Ferentini in Muratorii Thesauro Inscript. p. 1621, 10. *Cn. Acerronius se vivo fecit si* (bi) *Acerroniae cn.* (coniugi) *Hostilienae p. f.* (piae fideli.) ubi emendandum, *Hostilianae.* Et notus est Cn. Acerronius Proculus cum C. Pontio Nigrino Cos. a. U. 790. p. Chr. 37. Atque illum apud Ferentinates sepultum si quis neget esse hunc socium, aio esse; sin aiat, nego. Adeo nihili est opinatio in re eiusmodi. Ceterum per lacunas hic sitas de socio isto emtionis, negotioque cum eo contracto, difficilis quaestio est, in qua quidem exspectabam prudentum consilia. Heinr.

Viro optimo) *Vir bonus, vir optimus*, non raro vel de improbissimis dici solet cum ironia: id quod ex ipso Cicerone notavit Quintilian. IX, 2, 45. qui unum ex sociis Catilinae dixit virum optimum. Habes alia exempla pro Quint. c. 3. et 4. pro Caec. c. 6. Qua in re humaniores sunt Graeci, qui nonnisi fatuum appellant εὐήθη, vel χρηστόν. Et Oratori non animum fuisse vere laudare hoc titulo Acerronium, mihi quodammodo patere videtur ex verbis §. 16. Heinr.

modum proscripsisse) Lacuna ante haec verba possit expleri in hanc sententiam: „qui tulit indigne, cum audisset, istum suo arbitratu et sua voluntate totum fundi modum proscripsisse." Nam Fabius videtur fecisse, ut socius posset queri tanquam ille apud Plautum in Trinummo I, 2, 130. „Quia ruri dum sum ego

emptum habebat cum socio Gn. Acerronio viro optimo . . . . modum proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane adroganter quod commodum fuit respondit: neque dum fines auctor

unos sex dies, Me absente atque insciente, inconsultu meo, Aedis venalis hascé inscribit litteris." Proscripsit tabulam, se fundum venditurum; ex nota formula. V. Epist. ad Q. fr. II, 6. et de Offic. III, 13, 7. Cf. Brisson. Select. Antiq. III, 8. et G. Cuper. Obs. I, 17. Inscripserat iugerum numerum, quo *modus* agri demonstrabatur. V. Digest. tit de act. empt. vend. (XIX, 1.) l. 13. §. 14. et tit. de evict. (XXI, 2.) l. 64. Heinr.

Iste) Fabius, qui in iudicio adest: sed dictum, ut mox saepius, cum contemtu. Nam aliter, quippe honoris causa, fere dicitur *hic*. Cuius quidem discriminis ratio, vulgo non animadversa, fugit ipsum Ferratium, qui vim pronominum in oratione data opera tractavit Epist. IV, 6. Heinr.

auctor) Scilicet Fabius venditor. Mai. Nihil est notius hoc usu verbi *auctor* in venditionibus: de quo certatim multi dixerunt, et quidem Hotomannus ad Verrin. V, 22. et ad Caecin. c. 10. non sine ineptiis; melius Salmasius in Treb. Poll. p. 286. C. quem virum, sciendum est, cum interdum quaedam confusius scripserit, rursus permulta unice explicuisse, quae ab aliis confunduntur. Sed de ratione huius usus restant, quae dici possunt. Nam *auctor* omnino est, qui rei dominium habet, a quo venditio, aut donatio, aut quidquid est, pendet, vel proficiscitur: quem scita cum significatione verae vocabuli originis Graeci dicunt αὐθέντην, et exponunt αὐτεξούσιον, aliisque similibus verbis. Vide H. Steph. Indic. in Thes. L. Gr. et Ducang. in Gloss. med. et inf. Graecit. s. v. αὐθέντης. Adde viros doctos ad Thom. Mag. v. δεσποτεία. Id ulterius repetendum est quidem a vocabuli vera origine vique propria. Nam a Graeco αὐτὸς dici coepisse *autor*, et *auctor*, id quidem diutius dubitari non potest: quod Graeci usurpant itidem, ut *auctorem* Latini. Ex quo profectum est, quod a discipulis doctor dicitur αὐτὸς, non solum professor artis, sed etiam possessor, ut, praeter illud αὐτὸς ἔφα, *auctor dixit*, vox discipuli de doctore apud Platonem est in Protagora p. Steph. 314. οὐ σχολὴ αὐτῷ, *auctori*. Indeque est, quod discipuli dicuntur *esse a doctore*, ut erant illi ἀπ' Ἀριστάρχου, ab Aristotele, nec vero cuiusvis non docti doctoris discipuli nil discentes. Exempla apud Schaeferum in Meletem. crit. p. 28. Scilicet qui est αὐτὸς, qui a se ipse pendet et est sui iudicii, ab eo rursus alii pendent et ab ipso sunt.

demonstraverat. Mittit ad procuratorem litteras et ad vilicum Tullius . . . . . facturum negavit: illis absentibus fines Acerronio demonstravit: neque tamen hanc centuriam Popu-

Quae usui est multis in rebus, comparatio linguarum, ultra ea ad rem praesentem nonnihil faciet. Germanorum hoc verbum, Urheber, quo dicimus auctorem, sic vulgo vocatum, et cuius vera forma haec erat, Urhaber, proprie significat pariter eum, qui rem vere habet, in eamque exercere dominium potest, et ideo auctorem talem, qualis hic est Fabius venditor. Heinr.

fines demonstraverat) Sic rursus postea, *fines Acerronio demonstravit.* Res nova apud Ciceronem, sed in iure Romano translatitia. Legitimae sunt locutiones, *fines demonstrare, ostendere*, vel *nominare*, in agro vendito: quae est extrema auctoris actio. Qui fines demonstrat, tradit fundum. Digest. tit. de evict. (XXI, 2.) l. 45. Et demonstrantur fines aut per dominum, aut per servum villicum, domini iussu. Dig. tit. de contrah. empt. (XVIII, 1.) l. 18. §. 1. Heinr.

ad procuratorem) „Legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit, absitve reip. causa, quasi quidam paene dominus, hoc est, alieni iuris vicarius". Sic Cic. pro Caecina c. 20. qui dixerat non multo ante, non omnes esse, aut appellari procuratores, qui alieni negotii aliquid gerant. Huc adde verba Ulpiani e Dig. tit. de procur. (III, 3.) l. 1. quae, collata ad Ciceronem ab alio, tamen hic reponere haud gravabor in gratiam eorum, quibus libri iuris procul sint. Ita igitur ille: „Quidam non putant, unius rei mandatum suscipientem procuratorem esse, sicuti ne is quidem, qui rem perferendam, vel epistulam, vel nuntium perferendum suscepit, proprie procurator appellatur: sed verius est, eum quoque procuratorem esse, qui ad unam rem datus sit". ubi illud *ne quidem* falsam sententiam reddit, nec venit a iurisconsulto, qui scripsit: *sicuti nec is quidem.* Tantum enim abest, ut *nec quidem* non sit Latinum, quod qui putarunt, eos nominat Heusinger. Emendat. p. 191. et Observat. p. 475. adde Muretum Opp. T. III. p. 262. ut suis locis id unice rectum sit. Quod praeclare observatum monet Goerenzius ad Acad. II. §. 82. Iam quoniam procurator est etiam, qui litteras perferendas suscepit, putares, legendum hic esse: *Mittit per procur. litteras ad villicum T.* Sed nihil mutandum. Ruri est villicus, servus, cui imperat dominus: sed est etiam procurator, liber homo, cui mandat; quae res saepe commemoratur, et ab ipso Cic. de Orat. I. §. 249. Etiam in Digestis tit. de fu-

lianam vacuam tradidit. Acerronius quomodo potuit sedet orare ex . . . . . . *ag*mine eiusmodi semustulatus effugit.

Adducit iste interea in saltum homines electos maximis 14.
animis et viribus, et iis arma quae cuique ab Italia atque

gitiv. (XI, 4.) l. 1. disiuncti ponuntur *villici vel procuratores possessorum*, ubi scholium: κουράτωρες τῶν κτημάτων, docet, scriptum fuisse, *curatores possessionum*. De scriptura *vilicus*, quae est hoc loco, unica *l*, Pandectarum illa Florentinarum et aliquot lapidum, dici posset. Sed non necesse est nunc omnia. Heinr.

vacuam tradidit) Venditus ager vacua possessio est, antequam traditus emtori, isque ingressus est possessionem. Hoc in Pandectis vulgatum nunc primum legimus apud Ciceronem. Sed in ipsa re, hac quidem parte narrationis, summa est obscuritas. Heinr.

Acerronius — sedet) *Sedere* fuit non raro apud Latinos verbum supplicantium. Nepos in Pausania IV. „Quem cum supplicem dei videret in ara sedentem." Tibull. Lib. 2. Eleg. 7. v. 15. „Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo." Mai. Sane *sedere* apud Latinos multorum est, ut cunctantium et exspectantium, ut indicantium et equitantium, etiam vincentium (ex vetere proverbio, Romanus sedendo vincit), et si quid aliud facientium. Tamen noster vir optimus nonnisi vitio hic *sedet*, et, dum integra erat huius loci oratio, nunc misere lacerata, nisi omnia me fallunt, *possedit*. Heinr.

agmine) Malim coniunctum ac suppletum: *ex discrimine*. Livius XXII, 40. „se populare incendium priore Consulatu *semiustum effugisse*". ubi in aliis libris *semustum* legitur, ut hic *semustulatus*, contra atque in ea pro Milone, ubi vulgo obtinet scriptum *semiustulatus*. Sed videtur omnino usus repudiasse *i* insertum. Vet. Glossae: *Semustum*, ἡμίφλεκτον. Glossa Livii. Heinr.

§. 14. ***ab Italia***) Epitheton in his latere suspicor equidem, sed, quod commodum sit, nondum reperio. *agitabilia*, quod primum in mentem venit, ut nimis quaesitum, facile reieci. Cr. Alterum adiectivum hic fuisse, pro quo *Italiam*, patriam suam, induxit librarius, vel sequens *atque* satis docet. Corrigendum: *et iis arma, quae cuique* ***habilia atque apta essent, comparat.*** Fraudi fuit librario, quod ante se scriptum erat sine aspiratione, *abilia*, ubi videre is sibi visus est praepositionem et compendium patriae: ut in hoc Fragm. supra §. 3. extr. Codex *is* scriptum habet, pro *his*, et in Fr.

apta essent comparat, prorsus ut quivis intellegeret non eos ad rem rusticam, verum ad caedem ac pugnam comparari. Brevi illo tempore Q. Cati Aemiliani hominis honesti, quem

Scaur. §. 20. pr. *em*, omissa aspiratione, pro *hem*, ac talia multa saepe in vetustis Codd. et lapidibus reperiuntur. Vide, praeter alios, H. Stephan. Praefat. ad Glossaria p. 3. et Scaliger. Indic. ad Gruter. p. 89. col. 1. Iam vero non solum arma *habilia* dici solent, verum etiam coniungi haec duo verba, *habilis* et *aptus*, plane uti hoc loco, idque optima aetate, et ab ipso Cicerone. Ennius l. VII. apud Nonium in Animadvertendis Merceri ad p. 116, 7. „Deducunt *habiles gladios* filo gracilento." Seneca de Ira II, 35. „Arma nobis expedita prospicimus, *gladium* commodum et *habilem*". Adde exempla apud Gronov. ad Liv. Epit. 57. et N. Heins. Animadv. ad Tacit. Ann. XII, 67. Contra *inhabile telum* dixit Liv. XXIV, 34. Coniungit autem utrumque Cic. de Orat. I, 54. dicens *calceos habiles et aptos ad pedem;* et Fin. IV, 20. *res aptas, habiles et ad naturam accommodatas.* ubi Codd. nonnullorum scripturam *optabiles*, corruptam ex verbis *aptas*, *habiles*, recto iudicio, quo pollet, reiecit nuper Goerenzius. Quid? Vet. Glossae H. Stephani: *Habilia*, ἐνάρμοστα, ἐπιτήδεια. quod tam habile et aptum est ad hunc locum, ut glossa hinc sumta esse videatur. Similis huic mendo et similiter tollenda corruptio est in Vet. Scholiis Iuvenalis ad versum: „Et cito rapturus de nobilitate comesa" I, 34. ubi scholium: „Delatione Siciliae maximam partem proscripserunt: Ex quorum bonis multa deripuerunt." etc. Haec, sic edita a Pithoeo ac repetita in edd. omnibus, nemo intelligit, et unus eorum, qui in illis Scholiis emendandis laborarunt, adeo corrupta esse exclamat et mutila, ut sine ope Codicis subvenire qui velint, frustra sint. Sed nihil omnino hic corruptum, aut mutilum, praeter unam vocem *Siciliae;* quae quidem huc non aliter immigravit, quam illuc *Italia*. Nempe terras vident librarii libenter, praesertim cognitas. Corrige: „Delatione *nobilium* maximam partem proscripserunt". *Proscribere nobiles* dicit Scholiastes satis Latine, atque sic explicat (quam recte, nunc non quaero) *nobilitatem comesam*. HEINR.

intellegeret) *Intellego* pro *intelligo* constantissime vidi in multis antiquis Codicibus. MAI.

Brevi illo tempore) An *illi?* CR. Valde placet. HEINR.

Q. Catii Aemiliani) Huius, praeterquam in hoc loco, nusquam mentio. Ceterum Catii multi commemorantur, imprimisque in monumentis lapidum, quos vel Indices collectio-

vos nostis, duo homines occiderunt: multa alia fecerunt: passim vagabantur armati, non obscure sed ut plane intellegere viderentur ad quam rem parati essent: agros, vias denique

num Gruteri et Muratorii possunt ostendere. Hic cognomine Aemilianus, a nescio quo Aemilio adoptatus. „Catiorum cognomina vetustissima testantur scriptores et sepulcrorum antiquorum epitaphia: quae nos Veronae interdum, sed frequentius inter Insubres, annotavimus; hodieque Novariae amplissima familia parili cognomento durat. Catanaeus ad Plin. ep. 11. l. 2." Haec Reinesius adscripsit ad Glandorpii Onomast. p. 211. qui liber est in bibliotheca Cizensi: unde Reinesii notata omnia iusserat transcribi I. A. Ernestius in suum exemplum, quod nunc hic loci extat in bibliotheca Academiae. Idem Reinesius ibid. ad Catium, Insubrem, Epicureum, notavit: „Mediolanensem fuisse, dicit Scioppius ad Famianum". Locus est in Infam. Fam. p. 239. quem ab illo sic potuisse intelligi miror. Heinr.

duo homines) *Duo* pro *duos*, quod Grammatici concedunt. Mai. Nimirum hanc formam, ut etiam *ambo* pro *ambos*, satis comprobat usus in veteribus Codd. et monumentis. Vide Vossium de Anal. II, 6. Gronov. ad Liv. XXXV, 21. Oudendorp. ad Suet. Claud. 14. et Caiet. Marinium in opere praeclaro de Monumentis Fratrum Arval. P. I. p. 47. Heinr.

multa alia fecer.) Non displiceret *inulta alia.* Voces *multa* et *inulta* non tam miscentur inter se, quod vult Drakenb. ad Sil. IV, 16. quam prorsus eiusdem scripturae sunt in Codd. Cr. Tamen intuenti specimen scripturae in hoc Codice, quod ex tabula aerea simul repeti curavimus, liquido apparebit, in scribendi ratione, quam sequitur hic librarius, plane alios esse ductus litterarum IN et M: quos permutari potuisse ab editore, diligentissimo viro, non crediderim. Neque etiam obstat aut loquendi consuetudo Latina, aut mos Oratoris quotidianum sermonem, praesertim in his civilium causarum dictionibus, saepe imitantis, quin in eo, quod editum est, acquiescam. Heinr.

non obscure, sed ut plane intellegere vider.) Exspectares coniunctionem *ut* bis positam. Praepositiones quidem sic solent omitti in priore membro, saltem a poetis, ut in verbis Horatii: „quae nemora, aut quos agor in specus?" ubi vide Bentleium. Idque consuetudo fert apud Graecos ab Homero inde. Vide G. Hermann. ad Viger. Annot. n. 363. ubi miror sic propagari coniecturam illam viri pereruditi, auctore suo vix dignam, in versu Odysseae I, 93. quae quidem refellitur gemino versu II, 359. In coniunctione idem an usitatum sit, nescio, et, hoc donec

15.infestas habebant. Venit in Tyrinum interea Tullius. Deinde iste pater familias Asiaticus beatus novus arator et idem pecuarius, cum amputaret in agro, animadvertit in hac ipsa centuria Populiana aedificium non ita magnum, servumque M. Tulli Philinum. Quid vobis, inquit, istic negoti in meo

edoctus fuero, putabo, hic quoque suo more peccasse librarium, ideoque, revocata, quam ille omiserit, vocula, esse legendum: ***ut non obscure, sed ut plane intellegere viderentur.*** Heinr.

Tyrinum) Superius scriptum est ***Thyrinum.*** Etiam Codex unus Quintiliani Ambrosianus in loco supra citato habet sine aspiratione ***Tyrinum.*** Mai.

§. 15. ***Asiaticus***) Procul dubio Fabium exsibilat, cui illud fortasse cognomen, vel, quod aiunt, agnomen. Cr. ***Asiaticum*** dicit hominem, qui fuerat assecula Imperatoris in Asia provincia, per irrisionem, quae hic loci in singulis verbis plane aurea est. Respice de hoc homine dicta ante ad §. 11. Non dissimili ratione ***divitem illum Asiaticum*** dicit Gellius in elegantissima historia XIX, 1. Heinr.

cum amputaret in agro) Agricolarum est ***amputare*** vitem et ramos arboris: quo verbo utitur Cic. de Sen. c. 15. et Horatius in Epodo. Tamen hac vi magis usurpatum ***putare,*** ut de Or. I, 58. legitur „arborum putatio ac vitium", et, ne rusticos dicam, apud ICtum ***vineam putare,*** et ***pûtare in fundo,*** locis, quos Brissonius h. v. designat, ceterum is in re paullum aberrans. Nam putatio Graecis non est *κάθαρσις*, sed *κλάδευσις*: quo in genere, ut omnino in sermone, usus valet et consuetudo, non illa, tot quotidianarum ineptiarum mater, etymologia. Quanquam utrumque opus interdum coniungitur in vineis et arboretis; quo pertinere videtur explicatio duplex in Glossario: ***Putator***, *κλαδευτής. καθαριστής.* Iam ut ***putare*** sine casu dixit iurisconsultus, sic ***amputare*** Cicero de Fin. V. §. 39. Hactenus bene habeat defensio verbi vulgati: non item, si ratio loci et sententia reputatur. Quid enim? putatio, vel amputatio, certe labor est agricolae, et industrii; nec sane labori intentum atque industrium, immo vero otiantem et superbientem, describit Orator ac deridet omnino. Ne sim longior, corrigo: ***cum ambularet in agro.*** Corruptela processit ex eo, quod in exemplo antiquiore ***ampulare*** fuit scriptum, ut ***opruere,*** quod vidimus in Fragm. Scaur. §. 5. p. 23. Et hoc verbum cum ad rem et ad mentem Oratoris sit unum omnium aptissimum, tum alioquin

est? Servus respondit pudenter at non stulte, dominum esse ad villam: posse eum cum eo disceptare, siquid vellet. Rogat Fabius Acerronium, nam ibi tum erat, ut secum simul veniat ad Tullium. Venit. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium deduceret, aut ab eo dedu- 16.

hoc sensu satis est usitatum. Sic pro Flacco c. 17. „At istud columen actionis tuae, Mithridates, — *ambulat* cum lorica", pro quo in simili loco dixit *vagari*, pro Font. c. 11. Idem de Or. I, 58. pr. de iurisprudentia loquens signat eos, „qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi (i. e. sublimes) *ambulant*". Notiora ex aliis non reponam, ut illud poetae de homine, qui superbus ambulat pecunia. Et rusi maxime opprobrium hoc, *ambulare*: quomodo ambulatores et ambulatrices notant non semel Scrr. rustici. Possent Graeca etiam comparari. Sed nihil attinet. Heinr.

§. 16. *deduceret, aut ab eo deducer.*) Deducere aliquem de possessione est eundem expellere, vel ea privare. Confer pro A. Caecina VII. Denunciat igitur Tullio Fabius optionem, ut de agro controverso aut ipse facessat, iudicio interposito, aut se esse ei cessurum. Mai. Sapienter Cl. Maius digitum intendit ad Or. pro Caecina c. 7. ubi alia ad rem, alia secus dixerunt Interpretes, et cum his plerique omnes, qui eius moris meminere. Male enim confundunt hanc, de qua hic sermo est, vim civilem, imaginariam et quotidianam, cum festucaria illa notissima apud Gellium. Et ista quidem eo tantum consilio facta videtur, quo statim posset ad interdicta veniri, fuitque quasi praeparatoria interdicti de vi quotidiana, et fiebat convocatis quidem in testimonium amicis, sed priusquam in ius iretur. Contra *festucaria* fiebat in iure et quodammodo fuit praeparatoria rei vindicationis, nec ad alia iudicia accommodata. In rem quaedam nuper dixit Amplissimus Savinius nobilissimo *de Possessione* opere §. 40. *not.* 1. Cuiaciano more, h. e. concisius, quam plerorumque lectorum ingenia patiuntur. Cr. Actus hic erat sollennis inter cives, et simulata vis sive deiectio, advocatis amicis, ut nunc Acerronio, cum venerat in controversiam possessio: qua in re una adhuc suppeditabat Oratio pro Caecina, rem adeo plane illustrans, ut, nisi semper fuisset cara annona bonorum interpretum, eam, vix crederes, potuisse tam manifestis crassisque erroribus implicari. In quibus familiam ducit ille saepe disertior, quam sollertior, Hotomannus, qui quidem omnium primus pessimo exemplo miscuit Gellium cum

ceretur. Dicit deducturum se Tullius, vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabiu . . . .

17. Proxima nocte iam fere cum lux adpropinquaret, ad illud

Cicerone, ad Or. pro Caecina c. 1. Contra quem Graevius, in fi. annotationis ad loc. laud. c. 7., utrumque recte distinguens, et quod *manu conserere* dicebant *ex iure*, diversum esse admonens a deductione moribus, non iure, facta, tamen, quia modestius rem dixerat, a nemine est auditus; et vicit iste cum loquentia sua adeo, ut etiam longo post tempore Ernestius integros eius errores, repetitos ter quaterque in Clave (vide in v. *conserere*, *deducere* et *deductio*, imprimisque in *vis*), propagaret ad omnes deinceps Ciceronis lectores et editores: inter quos miror saltem Cl. Beckium, quomodo Graevium potuerit afferre, et tamen moribus deductionem ex Gellio, et de festucaria actione (sic dicit), interpretari, ad Caec. c. 7. Etiam antea F. O. Menckenus fecerat hunc scilicet iudicialem actum, in Obs. Latinae linguae (immo, linguae Latinae: quod ante omnia observandum erat) p. 222. Nimirum extra iudicium fit hoc, quod generatim appellatur *deiicere* et *deiectio*, verbo proprio de vi hostili. Vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXII, 24. Graecis ἐξίλλειν, ἐξειλεῖν, *evolvere bonis*: unde ἐξούλη. V. Ti. Hemsterhus. ap. Ruhnk. ad Timaeum p. 71. Quod verbum translatum a lucta, ubi volvendo deiiciunt adversarium de statu. Iam duplex est deiectionis modus: unus, vi vera, coactis armatisve hominibus, alter, vi simulata, nempe haec, quae suis vocabulis nominatur *deductio moribus facta*, vel *facta vis moribus*, vel denique *ex conventu vis facta*, cum homines inermes ad constitutum experiundi iuris gratia veniunt (p. Caec. c. 12.); ubi quod *moribus* dicitur, explicat uno loco Orator *bonis moribus*, c. 32. non tam accurate ad significationem, quam ad locum attemperate. Et hanc vim dicit *quotidianam*, eod. cap., ac paullo ante de ea interdictum *quotidianum*, non tanquam sollenni verbo et legitimo, sed a frequentia hoc genus litium, quae Praetorem totos dies exercebant, c. 13. In ea sponsio est inter litigatores: itur ad Praetorem; datur ab hoc interdictum, Unde vi; fit iudicium de vi. Haec omnia luce clarius patent apud Ciceronem; eamque in rationem pactum iam erat inter Tullium et Fabium, cum ab hoc subito erumperet vis illa, quae in iudicio nunc versatur. Ferratius Epist. I, 12. dum aliis vult acutius videre, ita vehementer errat, ut, pro duplici vi, triplicem fingat. Nihil non recte in ea re vir paene falli nescius, Cuiacius, quem vide ad Pauli Sent. rec. V, 6, 4. et Observat. V, 17. Ceterum, quam *civilem* et *festucariam* vim dicit Gellius in vindiciarum lite,

aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, servi P. Fabi frequentes armatique veniunt. Introitum ipsi sibi manu patefaciunt: homines magni praetii servos M.

eam his quidem verbis nemo alius appellat. Quae cum videam vulgo pro legitimis usurpari et veteri foro Romano tribui, de hoc longe aliter statuendum esse puto. Nam certe ista non iuris sunt verba, sed grammatica, quae a se Gellius posuit rei, quam tradit, explicandae causa, et alterum etiam novatum, quod nec prius quisquam dixit, nec postea: ut vindiciariam, verbi causa, dicere aeque potuisset, ac festucariam. Etenim verba esse non pauca apud Gellium, quae licentius insolentiusque ipse finxerit, neque Lipsius Ruhnkeniusque negarunt, et est verissimum. Habebit hoc quoque vir ille loco, quem collega meus designavit, libri de Possessione: sin minus, accipiet. Heinr.

vadimonium) En fortissimum argumentum pro sententia Fr. Polleti et Bav. Voordae *D. de Vadimonio cap. II.* §. 3. promissum fuisse vadimonium, priusquam in ius veniretur, quod plerique negant. Cr.

Manet in ea condit. F.) Sic in Verrem Act. I. cap. VI. de simili fere re inquit Cicero: „Mansit in ea conditione atque pacto Verres." Mai. Post *Fabius* (nam sic certe legendum) desunt plura verba, non ita incolumi narratione de re, ex qua nocte iam proxima fuerat ventum ad vim armatam. Heinr.

§. 17. *sibi manu*) Cod. *manuque*. Mai. Servo scripturam Codicis *manuque*, id est, atque adeo manu. Cr. Modi sunt varii usurpandae particulae *que* in sermone Latino, et unus etiam, ut sit explicantis, pro et quidem, tum apud Ciceronem, tum ap. omnes Latinos. Sic ap. Velleium I, 8, 2. „Quo quidem in ludicro, omnisque generis certaminum, Hercules victor extitit". ubi verum est *omnisque* ex edit. pr. et nullo modo sollicitandum. (Legitur ibi initio capitis: „Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, — Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum Elium". quod corruptum destituit acumen Ruhnkenii. Corrige: *initum. Habuit auctorem* etc.) Verum *que* dici pro atque adeo, nec scio equidem, nec facile credam nisi probanti exemplis recte intellectis. Sed tamen Codicis scriptura omnino erat servanda, quo certius ex ea verum posset restitui. Nam cum scriptum extet in Cod. SIBIMANUQUE, satis est recordari, *b* et *v* litteras adeo esse cognatas, ut paene pro eisdem habeantur, deinde, geminatione in his Fragmentis multa sanari. Ita, quod traditur in Cod. legi, *sibi manuque*, apparebit, esse legendum:

Tulli nec opinantes adoriuntur, quod facile factu fuit. Neque iam multos aeque repugnantes multi armati paratique occidunt. Tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent: ne siquem semivivum ac spirantem relinquissent, minor his honor haberetur.

18. Praeterea tectum villamque disturbant. Hanc rem tam atrocem tam indignam tam repentinam nuntiat M. Tullio Philinus quem antea nominavi, qui graviter saucius e caede effugerat. Tullius statim dimittit ad amicos, quorum ea vicini-

sibi vi manuque. Ac nihil est usitatius, quam coniungi haec duo vocabula. Pro Caec. c. 17. „adhibita *vi*, *manu* demotus". Pro Flacco 6. „si quid ipsi audistis de *vi*, de *manu*, de armis, de copiis". De L. agr. II, 36. „*vi ac manu* perfringi". De geminatione ceteroquin dubitare non licet, quin ad litteras non solum easdem, sed ad similes etiam et cognatas pertineat: qua de re conf. quae dixi ad Fragm. Or. pro Tull. §. 3. p. 63. et quae dicturus sum ad Supplem. Or. pro Flacco §. 1. extr. Heinr.

hom. magni pretii) Hoc scil. in primis faciebat ad aestimationem quadrupli, de quo supra. Cr.

Neque iam m. aeque repugn.) F. *tam.* Deinde leg. *neque.* Cr. Illud *iam* bene habet, ni fallor, ex illo usu, quo in familiari et quotidiano sermone prope redundare videatur. Heinr.

gurgulionibus ins. rel.) Hic locus citatur a Capella Lib. V. cap. de Elocutione [p. 424.], omisso nomine huius Orationis: sed iam apparet, ex qua citaverit. Mai. Et vera lectio iam apparet, *insectis.* Nam apud Capellam vitium est, *eiectis*, cum varietate *exactis*, et cum H. Grotii coniectura *exectis.* Heinr.

minor his honor) Occisis, an occidentibus? Sine dubio his. Igitur reponendum videtur *minoris honoris.* Cr. Vidimus *em* scriptum, et *is*, pro *hem*, et *his*, in Fragm. Scaur. §. 20. et Tull. §. 3. At rursus *his* cum aspiratione, pro syllaba *is* in voc. *minis*, Scaur. §. 10 extr. Nec equidem dubito, quin et hoc loco, detracta aspiratione, legendum sit: *minor is honor haberetur.* Heinr.

§. 18. *caede*) Cod. *cede.* Mai.

dimittit ad am.) In hoc haereo. Nam cum dimittit, qui graviter saucius erat? Odi incredulus. Et *mittere ad aliquem*, pro certiorem facere, is quidem quotidianus est modus loquendi apud Ciceronem et aequa-

tate tum illa bona atque honesta copia praesto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur. Cum amici in comm . .

. . . .

Reliqua desiderantur.

les. Vid. Manut. in Ep. ad Fam. V, 20. et XI, 16. Gronov. ad Liv. VIII, 23. et XXXIV, 29. Atqui hic legitur *dimittere*, quod nemo sic dicit, quantum scio, ut idoneo exemplo vindicari huic loco posset. Pro Quint. c. 6. „Naevius ipse pueros circum amicos dimittit", ubi servorum grex dimittitur, non nuntii mittuntur. Aut superflua hic syllaba est, opinor, et legendum *mittit*, pro *dimittit*, aut deest vocabulum necessarium, quod more suo negligens librarius omisit. Ita legerem: *Tullius nuntios statim dimittit ad am.* In quo non obscurum, quomodo similitudine nominis antecedentis vocabulum praetermitti potuerit. Heinr.

illa bona) Posses *illi* tentare, sed magis placet *illico*. Cr. Legi *illi*, ut primum haec verba aspexi; idque pro vero habeo etiam nunc. Heinr.

M. TULLI CICERONIS

ORATIONIS PRO FLACCO

SUPPLEMENTUM INEDITUM.

MONITUM
EDITORIS MEDIOLANENSIS.

In *Oratione pro Flacco duae sunt insigniores lacunae, una ante caput III. altera ante IX. Censeo, fragmentum hoc collocandum ante caput III. ita, ut expleat primam lacunam saltem ex parte. Agitur in capite III. edito de muneribus a Flacco gestis non sine optima fama pluribus in provinciis, et de testium adversariorum iniquitate atque ignobilitate. Atqui in nostro fragmento de his ipsis agitur: ergo huc pertinere putandum est. Et quidem quum in fine fragmenti dicatur Flaccus puer cum patre Consule ad bellum esse profectus, in principio autem capitis III. editi munera, quibus Flaccus in reliqua vita functus est, enumerentur, videtur omnino fragmentum hoc inserendum esse primae lacunae Orationis.*

ORATIONIS PRO FLACCO

SUPPLEMENTUM INEDITUM.

1. . . . . . . externum cum domestica vita naturaque constarent. Itaque non patiar D. Laeli, te tibi hoc sumere, atque hanc ceteris in posterum, nobis in praesens tempus legem *et* conditionem *constituere* . . . . Cum adulescentiam notaris, cum relicum tempus aetatis turpitudinis maculis consperseris, cum privatarum rerum ruinas, cum domesticas labes, cum urba-

§. 1. *Laeli*) D. Laelius fuit L. Flacci accusator de repetundis ex Asia. MAI.

constituere) Dimidia columnae pars abscissa fuit e Codice. MAI.

adulescentiam) Sic semper in Pandectis Florentinis exaratur. Cf. Vossium in Etymol. sub v. *Adolere*. CR.

relicum) Pro *reliquum*. Sic in antiquis Codd. saepe vidi *aecum* pro *aequum*, *anticum* pro *antiquum* etc. MAI. Conf. notata ante ad Scholia p. 54. n. 13. et ad Fragm. Tull. §. 3. p. 63. it. p. 64. ad v. *aecum*. HEINR.

Hispaniae, cet.) Nota vim genitivi, vult enim flagitia in Hispania, Gallia, Sicilia, Creta commissa. CR. Attigi hanc formam loquendi in Fragm. Scaur. §. 2. propter *maximum totius Sardiniae crimen*, quod ipsum monui huc referri et inde explicari oportere. In qua genitivus hanc vim habet, ut significet, quod cum re aliqua sit coniunctum, sive ad eam pertineat; velut *Hispaniae flagitia*, quae ad Hispaniam pertinent, aut Alexandri *scelus Callisthenis* apud Senec. Nat. Quaest. VI, 23. quod ad Callisthenem spectavit; id quod per adiectiva etiam effertur, ut

nam infamiam, cum Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae, qui-

crimen Parium, *Saguntinum scelus*, ap. Nepotem Milt. c. 8. et Liv. XXI, 41. Atque haec casus illius usurpandi ratio utraque in lingua patet latissime: ad quam revocanda sunt multa, quae dissimilia solent haberi. Sic apud Homerum *εἰπεῖν, ἀκούειν τινός, ἀγγελίῃ ἑτάρων*, alia; ap. Demosthenem locutio, *τούτων ὁ καιρὸς τοῦ λέγειν*, quam imperitia vulgo perversam, et syntaxis scriptoribus ne notam quidem, nuper satis vindicasse mihi videor in Epimetro ad Aug. Twesteni Commentat. de Hesiodi Ergis p. 73.; ap. Cic. de Legg. II, 17. „iudicia Senatus conservatae patriae", i. e. de conservata patria: quod ipsum quidam MSS. habent ex glossemate; item Orat. c. 31. „Demosthenis oratio falsae legationis" (*λόγος παραπρεσβείας*); ad Att. II, 1. „commentarius Consulatus mei" (*ὑπόμνημα ὑπατείας*), et centena talia. Iam criticos videamus, qui in hoc genere, quae sanissima sunt, aut corrigunt, aut falsa ope ellipsis expediunt. (Scribo *ellipsis*, non *ellipseos*. Vide Vossium de Analog. II, 9. et adde exemplum *Mesciniae* (*Messiniae*) *Lexis* e columbario ap. Murator. Inscript. p. 1615, 11.) Sic in Schol. Aristoph. Nub. 301. ubi fit mentio Atheniensium *τοῦ ψηφίσματος Μεγαρέων*, hoc Ernestius in Praef. p. 22. grave vitium esse affirmans, vult addi *κατὰ* ante *Μεγαρέων*, idque mox re vera adiecit novissimus editor. Admonuit Ernestium huius erroris Ruhnkenius, Epistol. p. 23.: non monuit, Thucydidis esse *τὸ Μεγαρέων ψήφισμα*, I, 140. decretum *de Megarensibus* factum, *Megaricum*. Quod cum ipse ille denique viderat, de genitivis hisce ad Hom. Il. III, 206. et ad Cic. Verr. III, 44. sub fi. loquitur quidem cautius, ceterum in singulis, quae leviter in ea re disputat, mire falsus. Porro ap. Platonem Theaetet. p. 147. C. *ἐν τῇ τοῦ πηλοῦ ἐρωτήσει*, *in luti quaestione*, i. e. de luto. Ibi editor nuperus „In his" inquit „ni excidit *περί*, notandum hoc genus ellipseos, cuius simile nihil memini." Et alius Platonicus in Minoem p. 159. postquam ex Procli ad Hesiodum Scholiis posuit verba: "*Ἕρμιππος ἐν τῷ τῶν ἑπτὰ σοφῶν*, addit: „Scholion est corruptissimum. Leg. "*Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑ. σ.*" Atqui in eisdem Schol. p. 8. col. 2. laudatur *Λυσίμαχος ἐν τῷ πρώτῳ ποιητῶν*, apud alios *Ἀντιφῶν ἐν τῷ ἀληθείας* (v. Ruhnken. Opusc. ed. Leid. p. 251.), sexcenties grammaticorum *μελέται Ὁμήρου, ὑπομνήματα Ἰλιάδος*, etc. A Gregorio de Dial. p. 17. laudatur *Εὐριπίδης ἐν τῷ Πολυδώρου δράματι*, cum phrasi, quam habemus in Hecuba: quod ut crederem recte nuper fuisse mutatum, minime fecit longa Bastii disputatio. Plane illi geminum est *Εὐριπίδης ἐν τραγῳδίᾳ Ἐρεχθειδῶν* ap. Michael. Apostol. XIX. 98. „Memor in tragoedia Herculis" ap. Fulgentium post Nonium Merceri p. 564, 23. et „Cordus, qui trage-

bus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris; tum denique quid Molitae et Loreni de L. Flacco existiment audiemus.

diam Thesei scripsit" in Vet. Schol. Iuvenalis 1, 2. Loci etiam delitescunt, in quibus loquendi ista ratio, vitio oblitterata, instaurari emendatione poscit; quorum unus in Schol. Iuvenal. 1, 109. de Pallante, Claudii liberto: „Eamque ipse consuetudinem stupri adeo palam fecerat", etc. ubi leg. ***consultationem stupri***, i. e. de stupro, secundum Tacit. Ann. XII, 1 et 2. Sed de scholio isto egregio dicenda sunt plura alias. Nunc cum nostris his observatis conf. Schaefer. ad Dionys. de Composit. p. 213. et in Ind. verb. v. *περὶ*, item ad Sophocl. Antig. v. 11. et in Ind. Homer. v. *genitivus*. Add. Reitz. ad Lucian. de Gymnas. 35. T. II. p. 916. Heinr.

vitia et flagitia) Coniuncta haec consuetudine sermonis, praesertim Tulliani. Vide Goerenz. ad Fin. II, 28. extr. Heinr.

Molitae) Codex aperte *Molitae*, sed videtur scribendum *Tmolitae* aut *Timolitae*. Vide huius Orationis caput III. editum. Tullius nimirum indicat adversarios testes ex oppido ad Tmolum Phrygiae montem. Mai. Etiam Faernus ad Or. pro Flacco c. 19. notavit, *abusque Molo* fuisse in antiquo libro. Cr. In scriptura continua, qualis est Codicis huius, scriptum QUIDMOLITAE legi debebat *quid Tmolitae*. Nam non modo ad easdem, sed ad affines etiam litteras pertinet geminatio; id quod satis iam prius apparuit his quidem exemplis: ***sed amen***, pro ***sed tamen***, Fragm. Scaur. §. 15. et ***sibi***, pro ***sibi vi***, Fragm. Tull. §. 17. Similiter apud Virgil. Ge. I, 56. pro ***ut Tmolus*** in multis libris vitiatum est ***ut Molus***. Cuiusmodi ex locis fluxit, quae saepe alibi reperitur, scriptura prava, *Molus*, quam pars Codd. habent pro Flacco c. 3., item *Molites* ap. Vitruv. VIII, 3, 12. Formam Τύμωλος tradit Stephan. Byz. in v. et alteram Τμῶλος, ut poetarum. Hoc falsum esse, omnium certissime docent nummi, in quibus legitur Τμῶλος et Τμωλεῖται. Vid. Eckhel. Doctrin. num. vet. Vol. III. p. 113. et p. 123. s. Tamen Latinorum palato fuerit *Timolus* convenientissimum, propter causam non obscuram. Heinr.

Loreni) Item videtur nomen derivatum ab ignobili Asiae vico. Porro Tullius, ut testium infringat auctoritatem, obscuritatem eorum patriae deridet. Mai. Si quis pro *Lorenis* substitueret *Lorymanos*, non is quidem id faceret me auctore, qui sciam, multorum oppidorum et vicorum nomina memoria hominum excessis-

Quem vero tot tam gravesque provinciae salvum esse cu- 2.
piant, quem plurimi cives tota ex Italia devincti necessitudi-
nis vetustate defendunt, quem haec communis omnium no-
strum patria propter recentem summi beneficii memoriam com-
plexa teneat; hunc etiamsi tota Asia deposcit ad supplicium,
defendam, resistam. Quid si neque tota, neque optimos, ne- 3.

se, faceret tamen me non multum repugnante. Est enim *Loryma* urbs Cariae, et testes contra Flaccum producti omnes ex Asia. Cr. *Loreni,* ex lege nominum gentilium formandi, deberent esse a *Loris.* Atqui nominatus sic locus neque usquam potest ostendi, neque etiam credibile est, tanta in luce Asiae nomina civitatum et locorum, quorum apud nobilissimum Oratorem facta mentio esset, potuisse plane intercidere. Quare, quod et proxime abest a Codicis scriptura, et a forma nominis rectum est, recipio, *Lorymeni.* Facit Λωρυμαῖοι nomen gentile Stephanus Byzantius. Sed τὰ Λώρυμα dicunt veteres; unde Λωρυμεύς ac Λωρυμηνός, Latinis *Lorymeus, Lorymensis*, et *Loryminus.* Vide Gronov. ad Liv. XLV, 25. extr. et Heindorf. ad III. de N. D. §. 39. Sed argumentum hoc multum etiam potest locupletari et varia ratio gentilium nominum certius latiusque exquiri ad monumentorum fidem: nummos dico et inscriptiones. Heinr.

§. 2. *Quem — cupiant*) Leg. *cupiunt.* Cr.

summi beneficii) Flaccus Ciceronem adiuverat ad Catilinae coniurationem opprimendam, ut patet ab exordio huius Orationis, et ex Catilinaria III. cap. II. Mai.

teneat) Nulla causa subiunctivi. Lege *tenet*, sin aliter, ante *defendant* esse debet. Cr. Variatio haec modorum, *Quem — cupiant, quem — defendunt, quem — teneat*, hoc in loco eiusmodi est, cuius vix iusta ratio reddi queat. Nec vero de nihilo esse puto, quod duo coniunctivi hic extant: quibus quidem tertius recte accedat, *defendant.* Non de Flacco iam cogitat Orator, sed universe de quocunque conditione ista. Itaque *quem — cupiant* intellige: si quem etc. Heinr.

§. 3. *Quid si neque tota*) Hic quin omnia sana sint et incorrupta, dubitare licet propter miram vocabulorum in generibus suis mixturam. Nec satis intelligo, quid sit *nomina mittere in iudicium per egentissimos testes.* Quid sint *libelli nominum iudicum* apud eundem auctorem in Verr. I, 6. percipio, verum ii non per testes mittebantur. Cr. *Mitte-*

que incorruptos; neque sua sponte, nec iure, nec more, nec vere, nec religiose, nec integre? si improvisa, si sollicitata, si concitata, si coacta, si impia; si temere, si putide, si inconstanter nomina misit in hoc iudicium per egentissimos testes, ipsa autem nihil queri v . . . . de iniuriis potest? Tamen ne, Iudices, haec ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt?

4. Tenebo igitur hunc ordinem defensor, quem fugit inimicus, et accusatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen ab adversario flagitabo. Quid est, Laeli, numquid ea . . . . vere . . . . dicis? qui quidem non in umbra neque in illius aetatis disciplinis artibusque versatus est. Etenim puer cum

re rem in iudicium est facere, ut de re iudicetur. quae locutio rectissimae Latinitatis mittenda in Thesauros, expertes eius. Quid vero est *nomina mittere?* Mendum agnosco et corrigo: *si inconstanter omnia misit in hoc iudicium.* Vix crebrior sit ulla alia confusio, quam vocabulorum *omne* et *nomen*. Vide Ruhnken. ad Rutil. Lup p. 52. s. Heinr.

v . . . . de iniuriis) Illam lacunam explebis legendo: *veris de iniuriis.* Heinr.

Tamen ne) Scribo coniunctim *tamenne*. Ca.

longinqui temp. — derogabunt) Materia haec est triplicis observationis proprietatis Latinae et vere Ciceronianae. Unam hic sumam; nec frustra. Legitur in Or. pro Quintio c. 23. consensu MSS. omnium: „Fides huius, multis locis cognita, ne perfidia Sex. Naevii derogetur, laborant". *Multis locis*, quod barbare diceres, multis in casibus, Ciceroni bene frequens, ut *nullo loco* in Fragm. Scaur. §. 6. et sic alia. Sed *derogare fidem alicuius*, hoc est imminuere, constructio nimis insolita et non ferenda visa est Graevio atque Ernestio. Ergo corrigendum putarunt; quis altero peius, non indico. Tamen audaciores hinc facti duo nuperi editores certatim, unus Graevio, alter Ernestio auctore, locum aliter scripserunt. Quanto re-

patre Consule ad bellum est profectus. Nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid . . . . asus.

ctius, relicto, quod erat notandum, non mutandum, Facciolatus in Indice: „Constructio haec fortasse singularis est. Fere enim dicimus, *derogare fidem alicui*". Quod Forcellinus repetiit v. *derogo*. Iam ecce alterum exemplum constructionis eius ex hoc loco, ubi dicitur *rerum fidem derogare*. Et nunc rursus, post hoc repertum, emendandae erunt emendationes istae. Heinr.

§. 4. *aliquid . . . . asus*) Dimidia columnae pars abscissa fuit e Codice. Mai. Postrema haec nullo labore reparo: „ad bellum est profectus, nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid *ausus*". Heinr.

VARIAE LECTIONES

ORATIONIS PRO COELIO

ex uno folio eiusdem Codicis antiquissimi.

Appendiculam hanc diversarum lectionum in Oratione Coeliana adiecit editor, locis enotatis ad paginam exempli Verburgii, ceterum nullo a semet iudicio interposito. Reddimus nos eandem ad capp. editionis Ernestii, et crisin addimus. Heinr.

Pro Coelio cap. 30. ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur) Cod. col. 1. *eximendi.* Id prorsus Tullianum: quomodo *e vinculis eximere* dicitur Orat. c. 23. et Ep. ad Fam. V, 6. *ex obsidione eximere.* Tamen in Tuscul. I, 31. „quum illuc ex his vinclis *emissi* feremur".

cui neque proprium quaestionis crimen obiicitur) Cod. *c. n. proprium quidem crimen quaestionis obiic.* Genuinum hoc: in quo considerandus est etiam verborum ordo Tullianus. Ceterum ad *crimen proprium quaestionis* facit illud, quod defendi in Scaur. §. 22. *argumentum proprium rei.*

discessit illinc Pompeii iudicio probatissimus) Cod. col. 2. *decessit.* Sermo est de contubernale magistratus, qui ante *discessit*, quam ille *decesserat.* Ita illud in Codicis fragmento vitium erit, ex consueta utriusque verbi permutatione.

qui post in civitate — clarissimi cives exstiterunt) Cod. forma plusquamperfecti, *extiterant.* Haud scio, an vere.

cap. 31. sed abiit huius tempus querelae) Cod. ***abit*** et ***querellae.*** Illa contractio est usitata Ciceronis aetate ac frequens in membranis antiquis et monumentis: quam metro necessariam in poetis quidem librarii interpolare non potuerunt, et reliquerunt v. c. ***petit*** apud Virg. Aen. IX, 9. ***perit*** ap. Iuvenal. VIII, 86. Vid. Salmas. in Trebell. Poll. p. 296. E. Oudendorp. ad Suet. Caes. c. 30. et praeter omnes Noris. ad Cenotaph. Pisan. IV, 4. p. 431. Notandum hoc exemplo, quod scriptum est ***abit*** in Codice vetusto nulla cum *i* maiuscula, quam in talibus nusquam etiam habet Codex Virgilii Mediceus, nec monumenta servant constanter. Ne quid dicam de illo pessimo abusu accentus flexi, quem quidam sic affectant, ut scribant ***abît***, et similia: quam summus iudex, Ios. Scaliger, in Epistol. 357. dicit „stultissimam paedagogorum περιεργίαν", et graviter reprehendit Germanos, quod harum sint servantissimi ineptiarum. De scriptura huius Cod. ***querella*** dictum supra ad Scaur. §. 5. p. 22.

postea nemini concessit aequalium) Cod. ***nemini umquam.*** Sane ex usu Ciceronis. Sic in hac ipsa Orat. c. 2. „***nemini umquam*** praesenti Puteolani maiores honores habuerunt". Ibid. c. 11. „obiurgavit M. Coelium, sicut ***neminem umquam*** parens". Pro Flacco c. 1. „Etenim, quibus auctoribus et defensoribus omnium salus esset — defensa ac retenta, ***neminem umquam*** putavi per eos ipsos periculum huius fortunis atque insidias creaturum". quo loco, nimirum Ernestium si audias, facilior erit oratio, verbis sic transpositis: ***per eos ipsos neminem umquam p.*** Nescio, quid sit facile, aut non facile, in hoc genere; neque eam virtutem ibi commemorant ipsi veteres. Sed illud scio, talibus iudiciis, si modo haec sunt iudicia, nec levius esse quidquam, neque a vera horum studiorum ratione naturaque remotius. Conf. quae scripsi in Scaur. §. 21. ad verba: ***quod non totum penderet ex teste.***

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Additamenta passim inseruit Carol. Fr. Heinrichius.

A.

I.

K.

L.

M.

N.

S.

U. V.


Corrigenda: p. 24. col. 2. lin. 21. stipendiarios. p. 102. c. 2. l. 15. obtemperantem. p. 104. c. 1. l. 4. subtus, *l. ui*.


KILIAE,

EX OFFICINA SCHOLARUM REGIA, PER CAR. LEBR. WAESER.






Princeton University Library
32101 064067398


Princeton University Library
32101 064067398

